F. VINCENTII MARIAE
DINELLII
CATHEDRATICI CASANATENSIS
ORDINIS PRAEDICATORVM

A D

CAROLUM NOCETIUM
SOCIETATIS JESV THEOLOGVM

DE DANIELIS CONCINAE
In indicandis, deſcribendiſque Caſuiſtarum locis ſumma fide, ac diligentia

EPISTOLAE.

ROMAE MDCCLVI.
Apud Haeredes Jo. LAURENTII BARBIELLINI.

SVPERIORVM FACVLTATE.

NOS FR. VINCENTIUS MARIA FERRETTI

Sac. Theol. Profeſſor, ac totius Ordinis FF. Praed. humilis Mag. Vicarius & Procurat. Generalis, & Servus.

HArum ſerie, Noſtrique auctoritate Officii quantum in nobis eſt, facultatem concedimus A. R. P. Magiſtro Fr. Vincentio Mariae Dinellio Provinciae Noſtrae Romanae, Cathedratico Caſanatenſi typis edendi opus ab ipſo elaboratum, cui titulus: *ad Carolum Nocetium Societatis Jeſu Theologum de Danielis Concinae in indicandis, deſcribendiſque Caſuiſtarum locis ſumma fide, ac diligentia Epiſtolae*: dummodo a duobus RR. PP. Noſtri Ordinis Sacrae Theologiae Profeſſoribus praelo dignum judicetur, & ſerventur cetera de jure ſervanda. In nomine Patris &c. In quorum &c.

Datum Romae in Conventu Noſtro S. M. S. M. die 19. menſis Junii 1756.

Fr. Vincentius Maria Ferretti.
Vicarius, & Procur. Gen. Ord.

Reg. pag. 23.

Fr. Thomas Ignatius Maria Natta Magiſter, & Socius.

Digitized by Google

Digitized by Google

NOS FR. VINCENTIUS MARIA FERRETTI

Sac. Theol. Profeſſor , ac totius Ordinis FF. Praed. humilis Mag. Vicarius & Procurat. Generalis , & Servus.

HArum ſerie , Noſtrique auctoritate Officii quantum in nobis eſt, facultatem concedimus A. R. P. Magiſtro Fr. Vincentio Mariae Dinellio Provinciae Noſtrae Romanae , Cathedratico Caſanatenſi typis edendi opus ab ipſo elaboratum , cui titulus : *ad Carolum Nocetium Societatis Jeſu Theologum de Danielis Concinae in indicandis , deſcribendiſque Caſuiſtarum locis ſumma fide , ac diligentia Epiſtolae* : dummodo a duobus RR. PP. Noſtri Ordinis Sacrae Theologiae Profeſſoribus praelo dignum judicetur, & ſerventur cetera de jure ſervanda . In nomine Patris &c. In quorum &c.

Datum Romae in Conventu Noſtro S. M. S. M. die 19. menſis Junii 1756.

Fr. Vincentius Maria Ferretti .
Vicarius, & Procur. Gen. Ord.

Reg. pag. 23.

Fr. Thomas Ignatius Maria Natta Magiſter , & Socius .

APPROBATIONES.

JUſſu Reverendiſſimi Patris Fr. Vincentii Mariae Ferretti totius Ordinis Praedicatorum Vicarii Generalis legimus Librum, cui titulus eſt: *Fr. Vincentii Mariae Dinellii Cathedratici Caſanatenſis Ordinis Praedicatorum ad Carolum Nocetium Societatis Jeſu Theologum de Danielis Concinae in indicandis, deſcribendiſque Caſuiſtarum locis ſumma fide, ac diligentia Epiſtolae*. In quo cum nihil offenderimus, quod fidei Catholicae, boniſque moribus adverſetur, dignum judicavimus, qui typis ederetur. In quorum fidem &c.

Datum Romae in Aedibus S. Mariae ſupra Minervam die 19. Junii 1756.

Fr. Angelus Spannocchi Ord. Praed. Magiſter, & Prior Minervitanus.

Fr. Alexander de Pretis Ord. Praed. Sac. Theol. Lector.

DE mandato Reverendiſs. P. Joſephi Auguſtini Orſi Sacri Apoſtolici Palatii Magiſtri attente legi librum, cui titulus: *Fratris Vincentii Dinellii Cathedratici Caſanatenſis Ordinis Praed. ad Carolum Nocetium Societatis Jeſu Theologum de Danielis Concinae in indicandis, deſcribendiſque Caſuiſtarum*

locis

locis ſumma fide, *ac diligentia Epiſtolae*; cumque nihil offenderim, quod fidei, aut bonis moribus contradiceret, quantum mea intereſt, typis mandari poſſe exiſtimo.

Datum Romae die 19. Junii 1756.

D. Maurus Aloyſius Belcredi Congr. Caſinenſis, Sac. Theolog. Lector.

J. M. J.

JUſſu Reverendiſs. P. Joſephi Auguſtini Orſi Ord. Praed. S. Palatii Apoſtolici Magiſtri, attente legi librum, cui titulus: *Fr. Vincentii Mariae Dinellii Cathedratici Caſanatenſis Ordinis Praed. ad Carolum Nocetium Societat. Jeſu Theologum de Danielis Concinae in indicandis, deſcribendiſque Caſuiſtarum locis ſumma fide, ac diligentia Epiſtolae*; in quo nihil reperi, quod cum fide boniſque moribus repugnet, atque adeo edi poſſe exiſtimo.

Ex Collegio S. Mariae de Victoria die 19. Junii 1756.

Fr. Eduardus a S. Xaver. Carmel. Excalc. olim Sac. Theologiae Praelect. nunc vero ſupremae Generalis Inquiſitionis Qualificator.

 IM-

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Mag.

F.M. de Rubeis Patr.Conſt.Viceſg.

IMPRIMATUR,

Fr. Vincentius Elena Reverendiſſimi Patris Magiſtri Sac. Pal. Apoſt. Socius Ordinis Praedicatorum.

EPI-

EPISTOLAE IX.

ARGUMENTUM.

CCV. *REprehendit Dinellius ſodalium Nocetii quorumdam rationem; qui cum ſe in cauſſam Concinianam intruſerint; cauſſam ipſam deſerunt, quae agitur; ea vero conſectantur, quae ſunt prorſus ab inſtituto aliena, atque ad inferendam iniuriam dumtaxat pertinent.* CCVI. *Quod ſi revocare illi conentur Concinianae cauſſae Patronos ab ea defendenda; numquamſe commiſſurum dicit, ut privatas ſuas ipſe rationes potiores ducat communi Reipublicae utilitate, quae ex librorum Concinae defenſione exiſtit: eoque minus, quod ſciat, contumeliam non ei, in quem coniicitur, ſed ei, qui inferat, probro eſſe, ac dedecori. Monet praeterea Nocetium, ut illos gravitate, honeſtateque morum ſua ab iniuria deterreat.* CCVII. *Porro non verum, ait, eſſe; quod illi queruntur, ſe primum Concinae, Concinianorumque ſcriptionibus fuiſſe laceſſitos. Quod enim ii falſas, monſtroſaſque ſententias Caſuiſtarum permultas appellant, adverſariorum fuiſſe officii ſuorum dogmata ratione, argu-*

mentisque tueri. Id quum non fecerint, eos jam non Concinam quidem, ſed ſe ipſos accuſare debere. CCVIII. *Quod vero queri etiam ſolent, licentiores, abſurdaſque ſententias iniuria fuiſſe ab Concina Caſuiſtis affictas: id ab Concina, ab Patuzzio, atque ab ſe ipſo commemorat luculenter fuiſse, copioſeque rejectum, inque eo genere accuſationis deſiderare, ait, ſe ſincerum animum, prudentiamque Adverſariorum.* CCIX. *Tertiam autem eorum querelam, quae eſt de adductis ab Concina in perverſarum ſententiarum invidiam alienis ſcriptoribus, quum tamen ſuorum nominibus, exiſtimationique pepercerit, nihilo eſſe ſuperioribus aequiorem. Hoc enim inter Dominicanos Scriptores, & Nocetii clientes intereſſe, quod Dominicani reprehendi ſuos ſicubi erraverint, aequiſſimo animo patiuntur: alteri vero ſuos quam maxime errantes laborant defendere.* CCX. *Addit, quum Concina liberiores Caſuiſtarum ſententias nongentas fuerit complexus catalogis ſuis, ex omni earum numero vix decem, aut undecim reperiſſe Nocetium, quarum ab ſuis invidiam putaret ſe conari poſſe depellere. Contra vero eum monet, ut in conficiendis Dominicanorum auctorum catalogis, quibuſcum* laxitatis *invidiam communicet, ne remittat diligentiam, neve iis fidat, qui S. Thomae, S. Antonini, Cajetani, aliorumque Dominicanorum doctrinam, quum commemorare, aut explicare vellent, perverterunt.* CCXI. *His explicatis capitibus, Dinellius mox ordine ad Suareſium deſcendit: atque hunc quidem, quod S. Thomam, atque Antoninum docuiſſe ſcripſerit, legem de annua Confeſſione, non ipſam per ſe, ſed* per accidens, *hoc eſt ſolum ſuſcipiendae cauſſa Eucharistiae ab Eccleſia eſſe latam, erraſſe ait: quare merito ab Concina caſtigatam fuiſſe. Deſcribit autem Nocetii locos, quibus*

is

si Suareſium tueri , Concinamque in malae fidei ſuſpicionem vocare ſtuduit . CCXII. *Reiicit deinde Nocetii animadverſiones , docetque neque eum , neque Suareſium veram ejus S. Thomae loci , quem uſurparunt , tenuiſſe ſententiam . Ac de* S. *Antonino , qui auctorem ſequutus ſit S. Thomam , eamdem eſſe rationem .* CCXIII. *Quod vero ſcripſit Concina, Suareſium ita fuiſſe inſtitutum , ut ex Legislatoris voluntate culpae gravitatem aeſtimari oportere arbitraretur; oſtendit , etiamſi in eo Concina Salmanticenſes ſequutus , erravit : iniuria eum tamen* impoſturae *reum agi ob eam cauſſam . Sed ne Nocetium quidem Suareſii de ea queſtione judicium ſatis recte , accurateque expoſuiſſe .* CCXIV. *Pergit porro ad Tamburinum ; ac Nocetio retractationem hujus Auctoris illam , de qua , prima Epiſtola , Dinellius egerat , defendere conato , reſpondere inſtituit . Igitur rationes , ait , a Nocetio allatas etſi prodeſſe Tamburino poſſint fortaſſe , obeſſe quidem Concinae nullo modo poſſe .* CCXV. *Ipſo namque teſte , atque auctore Nocetio , retractationem , qnae Caltaniſectae in Sicilia plane occulta lateret , ignotam fuiſſe Concinae . Atqui in editionibus quibuſdam Tamburini operum , quae vivo etiam Tamburino curatae ſunt, eam prorſus deſiderari .* CCXVI. *Omnino autem ea retractatione , vel ſi etiam fuiſſet edita , Pontificis decreto fieri ſatis non potuiſſe. Quare , ſi cognita Concinae fuiſſet clandeſtina ejuſmodi retractatio, tantum abfuturum fuiſſe,utTamburinum excuſatum haberet, quin multo gravius fuiſſet reprehēſurus.*CCXVII.*Reliquas porro Tamburini ſententias caſtigatas abConcina,ab Nocetio autem defenſas proſequitur;eamqne imprimis, quae eſt de actu Fidei, an ſatis ſit ad ſalutem, ſi ſemel in vita eliciatur. Addit autem, Nocetium Concinae verba ſilentio præteriiſſe , ut ſibi viam ejus accuſan-*

cuſandi pararet . CCXVIII. *Deinde adductis Tamburini locis , exploſiſque Nocetii ſubtilitatibus , oſtendit , Tamburini de eo controverſiæ genere ſententiam cum damnatis ab Ecleſia propoſitionibus conveniſre* . CCXVIIII. *Nam quod Nocetius de duplici neceſſitate* ; per ſe , & per accidens *adducit* , *id quidem & recte fuiſſe explicatum ab Concina* , *& eſſe veriſſimum* , *ſed ad Tamburini cauſſam translata* , *eo tandem pertinere* , *ut proſcriptae a Pontificibus propoſitiones impune reſtituantur* . CCXX. *Duo ſubdit , de quibus Nocetium monitum vehementer velit : alterum , quod is vel initio libelli ſui propoſitiones damnatas , eorumque Patronum defenderit: alterum , quod nuper Venetiis Tamburini opera denuo fuerint edita , in quibus propoſitiones complures duobus Alexandri* VII,*atque alio Innocentii* XI. *decreto*, *cenſura notatae aperte , explicateque propugnantur : idque factum multimodis reprehendit* . CCXXI. *Quod vero Nocetius ſcribit , erraſſe Concinam , ubi Tamburini ſententiam attulit de cauſſis , quibus minui poſſit eorum culpa , qui propter animi offenſionem ſalutationis officium praetermittunt , conſentit quidem Nocetio Dinellius , negat autem habere idcirco Nocetium juſtam clamandi , & conquerendi cauſſam* . CCXXII. *Miſereri vero ſe ait Probabiliſtarum , qui adeo ſolidis argumentis ſint deſtituti ; ut ex librorum indicibus captent accuſationes : verum id quoque reprehenſionis genus a reliquis non diſcrepare : recte porro bis indicatam eſſe Tamburini,quae eſt de licito alieni interitus deſiderio , laxitatem propterea quod Tamburinus permultas in ea re congerat laxas opiniones ; quodque ea variis in locis a Concina fuerit oppugnata* . CCXXIII. *Iniuria autem impoſturae accuſari Concinam dicit ; qui Tamburinum docentem juramento non teneri ; qui ſine animo*

Jurans

jurandi, Dei implorat teſtimonium, deferſae damnatae propoſitionis arguerit, contenderitque falſo ſibi Tamburinum Doctorum praeſidium adſciſcere: neque vero, etiamſi non liberaſſet Fidem, quam dederat, ſe id inferius demonſtraturum, quidquam ex ea re iniuriae Jeſuitis futurum fuiſſe: turbare vero omnia Nocetium, ut Tamburini laxitatem, communi cum opinione conciliet. CCXXIV. *Id ut evincat, proponit quid inter jurantem inconſiderate, ac perturbato animo, interque jurantem deliberate ſine animo jurandi interſit: primum juramento non obligari affirmat: de altero negat ſtatuere ſe quidquam poſſe* CCXXV. *At vero gravis eſſe reum criminis, qui ſic juret, omnino ſtatuit, repudiatque Leſſii, aliorumque judicium, quo haec Cajetani ſententia rigidior cenſetur: nam ut ut levis ſit juris jurandi materies, grave certe quidem eſſe, Deum dicti teſtem ab homine inaniter induci. Praeterea diſcrepare ab Suareſio vehementer Tamburinum; quorum prior juramenta abſque dolo, & fraude praeſtanda eſſe judicet; alter pernicioſſimum* materialem *Verborum uſum conetur invehere*. CCXXVI. *Hoc namque, damnata reſtrictionum ſententia deterius eſſe, conſtitutum ab Concina procul dubio ait eſſe*. CCXXVII. *Probabiliſtas porro mendaciis ſuorum cauſſam quandoque propugnare docet; ejus rei exemplo eſſe Vivam, atque auctorem operis, quod* Genuina doctrina P. Tamburini *inſcribitur, qui negarint reperiri uſpiam in Tamburino poſſe, eam de juramento ſententiam, quae in Editionibus ann: 1683: 1607. 1755. plane reperiatur; quamquam extare Editiones quaſdam non diffiteatur, in quibus iidem Tamburini loci deſiderantur*. CCXXVIII. *Tum ex Nocetio ſciſcitatur cauſſas, cur expuncti fuerint primum, deinde vero reſtituti*. CCXXIX. *Nam eum, qui hos locos in Vene-*

netas editiones primus reſtituit. quatuor admiſiſſe peccata demonſtrat: ac primum quidem, quod Lucii Sammarci, eos locos reperiri uſpiam poſse negantis auctoritatem labefactarit: alterum quod quaedam arbitratu ſuo ſuppoſuerit tempori non coherentia: tertium, quod Tamburinum ita diſserentem induxerit, ac ſi Sanmarci mendacia legiſset, probaſsetque: poſtremum, quod ceteris eſt gravius, quod damnatam Theſim, neque reticuerit, neque confutarit. CCXXX. *Rurſus de indicibus expoſtulanti Nocetio, quaſi ſint Tamburino, atque La-Croixio injurioſi, quibus opinio ejuſmodi adſcribatur: Roſarii recitationem, ad quam quis voto teneatur, parvitatem eſse materiae: reſpondet, id auctoris indicum erratum eſse: porro ad La-Croixium, qui Tamburino id affinxerit, ſeu ad poſtremum Lacroixii editorem, quod id vitium non emendarit, potius, quam ad noſtros Nocetii convicia pertinere. Addit, cupere ſe, ut explicatius proponat Nocetius quid ſit, in quo tantopere noſtros Societati infenſos eſse clamitet.* CCXXXI. *Exponit quid in Tamburino ajente, licitum eſse de omiſsa Divini officii perſolutione delectari, Concina reprehendit.* CCXXXII. *Quum autem in laxam quandam opinionem Tamburini diſputans Concina integrum omnino Tamburini locum deſcripſerit; ſatis id argumento eſsé docet, Typographo, aut Exſcriptori vitio eſse vertendum, quod eadem ipſa propoſitio in laxarum Catalogum relata, vocibus duabus diminuta legatur.* CCXXXIV. *Profitetur porro Dinellius, nolle ſe rurſus taedio afficere Lectores, ut oſtendat quaenam noſtrorum Theologorum laxitati cuipiam faventium, a nobis habeatur ratio: ceterum negat, eos ab Concina in re, de qua agitur, fuiſse ſilentio praeteritos, cujus Tom 2. Apparatus conſulendus Nocetio erat, quo ſe fuſo calamo*

lamo de ea egiſſe Concina indicaſſet: quo loci demonſtrat quam reddita ſit ea vetus Scholaſticorum opinio ab recentioribus deterior. CCXXXV. *Negat rurſus, tacuiſſe Concinam, probabiliorem a Tamburino judicari ſententiam, qua dignior in electionibus praeferendus decernitur. Id ipſum autem, quod interpetrari conatus ſit*, dignioris *vocabulum* pro digno *quandoque non comparate intelligi poſſe, leve eſſe, minimeque ferendum: non diſſimulat vero id niti Concinam, ut Probabiliſmum laxitatum originem, reddat lectoribus odioſum: etſi autem contra Tamburinum ſenſerint plerique Probabiliſtae, ita tamen eos agere, ut ob Tamburini patroni auctoritatem, eam ſententiam probabilitate non carere confirment*. CCXXXVI. *Miratur, quid ſit, quod Nocetius, etſi leviter erratum a Concina eſſe fateatur in expedienda alia quadam Tamburini opinione, quae pertinet ad Eucbariſtiae ſumptionem cum lethalis criminis conſcientia, tamen minime abſtineat ab eo errore reprebendendo: ex his vero Epiſtolis conſtare dicit, quanti ſint Nocetii criminationes omnes faciendae: caeterum ita, ut oportuit banc eamdem opinionem expoſitam fuiſſe contendit*. CCXXXVII. *Exponit deinde multis, quam parum Nocetio profit ad Dominicanorum diſcipulatum confugere: noſtrorum enim errata reprebendi a nobis: Probabiliſtas contra laudare, rurſuſque Typis edere laxitates ſuorum conſuevisſe*. CCXXXVIII. *Concinam porro errores noſtrorum non diſſimulare, propoſitis exemplis docet: quamquam ii ſint acrius objurgandi, qui repudiata veterum ſaniore doctrina, errores tantum pertinaciter defendant, quos accepiſſe ſe a Veteribus gloriantur*. CCXXXIX. *Libenter ſe conceſſurum ait, Typographi vitio voculam quamdam in Conciniani indicis loco ab Nocetio relato fuiſſe praetermiſſam; quam-*

quamquam ea ſit hujuſmodi, ut gravem Concinae apud Lectores invidiam creet: Nihil, ait, prodeſſe Nocetio, quod hoc erratum emendavit: hinc deducit qualis fuerit Nocetius Concinae accuſator, qui non modo de Typographorum vitiis, ſed de his etiam, quibus Declaratione ſatisfactum fuerat Concinam recriminari non ſit veritus. CCXL. *Agitur porro eo loci de quotidiana Communione, quam laicis lethali non inquinatis crimine, Tamburino auctore licere, Nocetius negat: id autem quidquid eſt, non eſſe Concinae, ſaepe dictum eſt: Porro indicis auctores facile reſponſuros, ait, Tamburinum utrumque affirmaſſe: docuiſſeque praeterea, Euchariſtiam impertiri poſſe non appetentibus modo, ſed petentibus ſolum quoque: quod quam prudens ſit, Concina expendit.* CCXLI. *Pergit ad Valentiam; atque hunc a Concina ejus ſententiae patronum dictum eſſe narrat, qua licere Judici adſtruitur, accepta pecun.a, ſententiam probabiliter iuſtam dicere, propterea quod ita repererit apud Tamburinum: porro non debuiſſe Concinam eos omnes* Auctores in fonte *adire, quos laudatos a ceteris Caſuiſtis cognoſceret.* CCXLII. *Petit autem, curnam tantopere in Concinam debacchetur, quod ex Caſuiſta Tamburino, Valentiam falſo indicarit: tum Valentiam ipſum in nova Tamburini Opp: Editione a Socio quodam curata falſo rurſus eo loci laudari patiatur? Ejus rei ſubinde haud leves coniecturas proponit.* CCXLIII. *Qui vero Ledeſinae, atque Medinae loci ſubduntur, negat ad rem, de qua agitur, pertinere: ceterum non magnopere Tamburinum in Valentia citando erraſſe advertit: qui doceat amicitiae cauſſa licere Judici probabiliter juſtam ſententiam dicere, cum amicitia aeque, ac pecuniis conſtet judicia poſſe depravari.* CCXLIV. *Valentiam vero primum omnium frivolis diſtinctiunculis*

culis Simoniae habenas laxaſſe pervincit, ita ut ab Concina ſcriptum fuerat. Id confirmat Cardenae Probabiliſtae teſtimonio. CCXLV. *Proſequitur multis, quae de ſimonia Valentia turbat, exponere, demonſtrareque, quam inaniter a Nocetio vindicetur*, CCXLVI. *Stomachari ſe ait, quod Nocetius, ut Valentiam tueatur, Sotum damnatae propoſitionis auctorem facere non vereatur, inque difficili Simoniae quaeſtione, veritatem ambagibus implicare*, CCXLVII. *Exponit quae ſit Soti de Simonia doctrina.* CCXLVIII. *Eam a Valentia depravatam, nova quadam diſtinctione fuiſſe contendit.* CCXLIX. *Multoque magis a S. Thoma Valentiae doctrinam diſcrepare.* CCL. *Ceterum Valentiam ita Soti doctrinam pervertiſſe: ut neget peccare Clericum, qui cultum Dei ad temporalem re-referat mercedem.* CCLI. *Hujus aliud proponit exemplum: licere nimirum Epiſcopo Sacerdotium cuipiam conferre metu regiae amittendae gratiae ſi id* motivi, *non autem* pretii *loco habeatur: cujus diſtinctionis, ex qua veluti fundamento quodam omnia, quae ad Simoniam ſpectant, Valentia definit, nullum in Soto habeatur veſtigium: ex quo loco, mentitos fuiſſe Danielem, & Vivam demonſtrat, qui negarint adhibitam* pretii, ac motivi diſtinctionem *a Valentia fuiſſe, quum de Beneficiis conferendis diſputat.* CCLII. *Vivae impndentiam exagitat, qui damnatam de Simonia Theſim ex Angelici doctrina explicare ſit auſus: multoque eſſe magis mirandam hominis temeritatem dicit, qui neget reperiri uſpiam in Valentiae libris poſſe* pretii, ac motivi *dictinctionem, ubi de Beneficiis agitur, quam Dinellius ipſe unico a ſe revoluto Codice, continenter repererit.* CCLIII. *Mentiri rurſus Vivam de Paſchali confirmat, qui damnatam Theſim ex Valentia excerptam primus omnium detexerit, atque refellerit, neque*

eam

eam calumnioſe Valentiae appinxerit, quod Nocetius ipſe negare non poſſit. CCLIV. *Expendit poſtremum, qualis fuerit Vivae cavillatio, ut Lectores deciperet, iiſque incautis ſuaderet, a S. Thoma damnatam theſim hauſtam fuiſse. Tum demum Nocetium hortatur, ut quoniam demonſtraturum ſe jactat, magnam laxarum opinionum partem a Dominicanis in Jeſuitas manaſſe, caveat, ne ita acceperint, ut hanc a Thoma accepit Valentia de Simonia: neve iis argumentis implicetur, quibus demonſtratum eſt, parum Caſuiſtis prodeſſe eum, quem Nocetius jactat, diſcipulatum.*

FR.

FR. VINCENTIUS MARIA
DINELLIUS
ORDINIS PRAEDICATORUM
CAROLO NOCETIO
SOCIETATIS JESU
S. P. D.

CCV.

QUID eſt, Noceti, quod nequeant ſodales quidam tui, qui de hac eadem, quae eſt inter nos controverſia, libellos evulgant, princeps illud recte ſcribendi cuſtodire praeceptum: ne quam in aliam rem tranſeatur; & ne quid, quod ad rem pertineat, praetereatur? Ego quidem, quantum potui, operam dedi, ut, niſi quod Concinae cauſſa poſtularet,

Digitized by Google

aut tuae de praeteritis Dominicanis, vocatiſque in invidiam Jeſuitis, nec non de lecto ab Concina, compilatoque Paſchali, conquaeſtiones ab invito extorquerent, nihil attingerem earum rerum, quae ab cauſſa alienae, magiſque ad remordendum, quam ad reſpondendum comparatae viderentur. Quod ipſum te non negaturum puto, cum omnia, quae a me dicuntur, ad id ſane, de quo agitur, confirmandum, illuſtrandum, declarandumque apta reperiantur. At tui nihil minus curare videntur, quam hanc laudem ſcribendi, & ne ab propoſito longiſſime aberrare dicantur. Nam ſi agatur ex cauſſa de Gobato, ipſi reſpondent de *Conceptione*. Si quaeratur vera ne ſit, an falſa Tamburini de calumnia, aut Leſſii de uſura doctrina, iidem memorant de magiſtro Cano, quem ſibi infenſum fuiſſe dictitant; aut ſermonem inſtituunt de comaediis, neſcio quibus, aut de lingua latina. Denique ſi diſputetur de ipſo probabiliſmo, ſimul ac abſoleta quaedam, & ad ravim uſque repetita leviter attigerunt, continuo, quaſi re confecta, liberius evagantur, & quidquid ex hiſtoria, ex doctrina, ex moribus, ex vulgi rumoribus, ex ſomniis ſuis colligere poſſunt, quod ad

ad injuriam nobis faciendam pertinere videatur, id omne conjiciunt in ſuos libellos, aut dialogos, quibus afflictam cauſſam ſuſtinere conantur. Quorſum haec, inquies, aut unde tam inſolens dicendi initium? Ut ſemel tantum hoc dicam, neſcire hos tuos ſodales recte ſcribendi rationem, aut certe nimis incaute negligere illud, quod dixi, ſcribendi praeceptum; ne quam in aliam rem tranſeatur.

CCVI. Quod ſi quærunt, quod unum quidem quaerere videntur, iſta agendi, ſcribendique ratione, ut omiſſa, quae in manibus eſt, de doctrina morum controverſia, cauſſam noſtram ſuſcipiamus, defendamuſque eodem ſcribendi genere, aut noſtros quoſdam, aut nos ipſos affectos contumelia, vehementer errant, inanique ſpe tantum laborem ſuſcipiunt. Nam primo intelligimus fore, ut ambo vituperatione digni videremur, illi quidem, quod cum ratione vincere non poſſent, contumeliis adverſarios laceſſendos putarint: nos autem, quod relicta diſputatione, quae publicam totius Chriſtiani populi continet utilitatem, quaque permultos jam ad id excitatos eſse conſtat, ut, miſſis Caſuiſtis, ex iis ediſcant praecepta morum, qui maxime probantur, privatam cauſſam

agere maluiſſemus, probaque & convicia, quae non nos, ſed eos, a quibus in nos conferuntur, magis læderent (quis enim Gravinam Ex. cauſſa non magnopere vituperat?) contemnere nequiviſſemus. Deinde nolumus (ut verbis utar unius Annalium noſtrorum Scriptoris) „ eorum exempla „ imitari, qui niſi remordeant, timent, ne „ non cumulate reſpondiſse videantur. Sit „ haec in eorum quotidiano ſermone, vo- „ luminibuſque licentia, qui, ſi ſuorum „ de rebus hiſtoricis, de doctrina, de mo- „ ribus ſententias ab aliquo refelli animad- „ vertant, hunc non tam argumentis con- „ vincendum, quam objectis ſaepe falſis, „ interdum etiam veris quorumdam crimi- „ nibus, qui ei ordinis, inſtitutique ſocie- „ tate conjuncti fuerint, magnum ſe con- „ ſecutos putant laborum, litterariarum- „ que concertationum fructum. Qui ſi con- „ ſiderarent, nullam eſse hominum ſocieta- „ tem, quae improbis omnino careat, pro- „ viderentque fore, ut ob illud, quod ſibi „ aſsumunt, cenſorum munus ſua, ſuorum- „ que vita, pluribus, quam velint, oculis „ obſervetur; numquam profecto eſse ſibi „ eo tam illiberali accuſationis genere „ utendum arbitrarentur. Quanto cautius,

„ pru-

„ prudentiuſque agerent, ſi animo colli-
„ gentes, quas ipſi plagas acceperint, quos
„ aluerint aliquando, quos viros, qua exi-
„ ſtimatione; quibus meritis, moribuſque
„ praeditos interdum perferre cogantur;
„ quam peterent ſuae, eandem certe ve-
„ niam reliquis Societatibus, Ordinibuſ-
„ que dandam judicarent „.

Haec ab eo pro tot, tantiſque injuriis, & contumeliis, quibus referti ſunt nonnulli Sociorum tuorum libelli, dicta graviter, atque modeſte, rurſus ego ad te initio hujus Epiſtolae praeſcribenda putavi, quod qua es probitate, & morum honeſtate praeditus, ſciam non probare te eorum ſcribendi inſolentiam, atque licentiam, curaeque tibi futurum, ut eos admoneas, ut iſto ſcribendi genere ſe abſtineant, quo certe magis ſibi, ſuaeque Societati, quam adverſariis nocent; utque ſibi perſuadeant, diſserentium inter ſe reprehenſiones non eſse vituperandas; maledicta, contumelias, tum iracundias, contentiones, concertationeſque in differendo pertinaces indignas eſse, ut ait Cicero, Philoſophia, ut nos dicere convenit, Theologia Chriſtiana, & eo, qui ſe eſse, exiſtimarique velit virum honeſtum & religioſum.

CCVII. Scio, eos laedi ſe dicturos ſcriptis noſtris, eoque contumelioſos in ſcribendo fuiſse, quod nos prius eos affecerimus contumeliis. Sed cum toties hac de re conqueſti ſitis, nihil unquam tamen afferre potuiſtis, quamobrem quereremini. Et ſane, niſi hoc vultis, ut eas morum ſententias, quas Concina refellit, cujuſque modi ſint, vobis impune defendere liceat; utque nemo exiſtat, qui eas improbare audeat, (quod tamen vos velle non puto, cum, ſi hoc velletis, nemini ferendi videremini) non video quid aliud afferre poſſitis, quamobrem queramini, noſtriſque ſcriptis vos laedi putetis, niſi haec tria: quod eae opiniones falſae ab Concina, quaedam etiam monſtroſae dicantur: quod falſo veſtris tribuantur: quod eaedem ab Dominicanis propugnatae fuerint. At primum tantum abeſt, ut vos laedat, ut contra vobis pulcherrimam praebeat occaſionem bene gerendae rei, patefaciendique Concinae imperitiam, qui falſas, monſtroſaſque appellarit ſententias, quas vos veras eſse, aut certe valde probabiles ſolidis argumentis, firmiſſimiſque rationibus demonſtrare poſſitis. Quare non de Concina, qui eas ſententias falſas, monſtroſaque appellavit, ſed de vobis

bis ipſis queriminor,qui eum magnopere erraſſe demonſtrare neglexiſtis. Hanc enim diſceptationem glorioſam vobis & Concinae, ſi viciſſetis, valde ignominioſam, perpetuo defugiſtis, ſtudiaque veſtra in tricis, rebuſque inanibus conſumentes, nunquam vobis data opera demonſtrandum ſumpſiſtis, veras eſſe, aut ſane probabiles nongentas illas morum ſententias, quas in cathalogis numeravit, eque re Chriſtianorum publica fore dixit, ſi omnes ab Romano Pontifice damnarentur.

CCVIII. De altero,quod eaedem veſtris falſo tribuantur, quae veſtra eſt perpetua querimonia, hujuſque libelli tui inſtitutum, nihil attinet plura dicere, cum tot argumentis ab Concina, cum viveret, ab Patuzio, a me tandem his epiſtolis injuria vos queri demonſtratum fuerit,ut jam,qui vobis aſſentiatur, nemo reperiatur. Atque ego cum me omni argumentorum copia huic veſtrae conqueſtioni occurriſſe memini; tum illud omnium maximi facio: quod, etiamſi verum eſset, unum aliquem interdum in ſubſidium cujuſpiam opinionis falſo appellari Caſuiſtam, nullam tamen haberetis juſtam dolendi cauſsam, propterea quod eadem opinio, ſin minus ab eo, cui falſo tribuitur, at cer-

te ab aliis bene multis, quorum inferior non eſt apud vos auctoritas, omnino defendatur. Ex quo ſequitur, vos, cum calumniae poſtulatis eum, qui aliquam ejuſmodi opinionem falſo cuipiam tribuerit, turpiter fingere, nec ex animi ſententia loqui, eo quod, etiamſi eandem opinionem, quod a multis defendatur, probabilem judicetis, prae vobis tamen rejicere, omninoque improbare feratis, ut juſtam habere videamini accuſandi cauſsam. Quod ſi forte dicitis, eam vobis minime probari, vos ipſi rationibus veſtris ſecurim injicitis, cum iſto modo, ut unum defendatis, plures alios erroris arguatis, erroremque ab Concina confutari concedatis. Atque ego non dubito, quin, ſi haec actio de calumnia apud *Auditorem Camerae* inſtitueretur, vos hoc uno argumento, de quo numquam reſpondebitis, cauſsa caderetis.

CCIX. De tertio quid amplius dicam? injuriamne vobis fieri, ſi cum de falſis morum ſententiis agitur, non memorentur Dominicani? Quae narras eorum ſtudia pro his ſententiis defendendis? Quas memoras ſuſceptas earum cauſsa cum Epiſcopis inimicitias? Ubi ſunt ſcriptae a Dominicanis pro Soto, Cajetano, Tabiena, Silveſtro Apologiae?

giae ? Ubi male mulctati *retractationibus* ſcriptores , qui horum errata refellenda cenſuerunt ? Nolo plura dicere ; ſatis enim intelligis , quo haec pertineat oratio .

Tantum uno exemplo , quod dico , declarare lubet.Nam commodum haec ſcripſeram, cum incidit in manus meas Caroli Borromæi opuſculum de Choreis , & Spectaculis &c. , ubi cap. xi. quod ita inſcribitur : *Choreas prohibitas eſse* , *& malas ratione temporis ſacri*, haec habet de Silveſtro Prierate . ,, Qui Choreis utuntur tempore ab
,, Eccleſia poenitentiae , ſive pietati prae-
,, cipue exercendae dato , peccant morta-
,, liter. Ita Roſsel.& Silveſ.ex Alex. Exem-
,, plum referunt de tempore quod interce-
,, dit ab Adventu ad Epiphaniam , & a Se-
,, ptuageſima uſque ad Paſcha , & de Do-
,, minicis diebus. Hoc vellet intelligere
,, Silveſter , qui quidem diſciplinae rela-
,, xandae in hoc genere videtur fuiſse ſtu-
,, dioſus , niſi fiant ob inſolitam aliquam
,, honeſtam laetitiam , puta victoriae cauſ-
,, ſa , & niſi fiant occulte . Verum hae ex-
,, ceptiones &c. ,,

Et paullo poſt : ,, Sed quod attinet ad
,, dies feſtos fuere aliqui ſummarum Scri-
,, ptores , qui limitationes quaſdam attu-
,, le-

„ lerunt, quibus Choreae & ſpectacula
„ non omnino a feſtis diebus arcentur.
„ Modo enim tempore divinorum Officio-
„ rumnon fiant, neque major diei pars in
„ in eis conſumatur, eas permittere, ni-
„ ſus eſt Angelus, atque hoc ipſum poſtea
„ Silveſter ad Miſsae officium, quod ſolum
„ ſit de praecepto, reſtringere voluit; & ita
„ paullatim uſus Chorearum amplificatus
„ eſt. Multo rectius facturi illi, ſi veterum
„ doctrinam potius tueri, & eodem tempo-
„ re morum licentiam refraenare ſtuduiſ-
„ ſent „.

Haec & alia, quae, ne ſim longus, omitto, Borromaeus de Silveſtro. At quid eo factum eſset, ſi haec eadem ſcripſiſset de Gobato, aut Tamburino, non ob unam tantum, & alteram *laxam* opinionem, ſed ob portenta opinionum, quae magno numero in eorum voluminibus leguntur, minime probandos Scriptores? Tuliſset ne impune tam acrem cenſuram? Ex veſtra ſane agendi ratione cum Epiſcopo Attrebatenſi, de qua dixi initio Epiſtolae quintae, cumque Epiſcopo Genetto, quem in Bibliotheca Janſenniana deſcribendum judicaſtis, ſatis intelligi poteſt, ecquid eventurum Carolo Borromeo fuiſset, ſi quae ſcripſit de Silveſtro, ea

ea ſcripſiſset de aliquo veſtro Caſuiſta, qui Silveſtro longe eſſet inferior. At noſtrum nemo, quod ſciam, moleſtus Carolo fuit, nemo injuriam ſibi ab eo fieri putavit, quod *laxiorem*, quam Eccleſiae diſciplina pateretur, Silveſtri doctrinam judicarit.

Et vos, qui tanti facitis quemvis de fece Caſuiſtam, ut eum nulla in re, non dicam a quoquam noſtrum, ſed ne ab iis quidem, *quos Spiritus Sanctus poſuit regere Eccleſiam Dei*, erroris argui patiamini, queremini non nominari Dominicanos, cum de morum ſententiis agitur? Vos parem eorum, qui numquam ſuorum errores probarunt, & eorum, qui ſemper defenderunt, dicetis eſse oportere conditionem?

CCX. At etiam Cathalogos conficere conamini falſorum dogmatum, errorumque, in quos noſtri inciderunt, credo, ut eos ulciſcamini, quos Concina praepoſuit ſingulis Chriſtianae Theologiae quaeſtionibus. Sed cavete, ne veſtri Concinianorum parum ſimiles reperiantur, non ſolum ob eam cauſſam, quam modo dixi, quod eis dumtaxat exprobrandus eſt error, a quibus pertinaciter defenditur, ſed etiam, quod verendum ſit, ne non bona fide, & ea, qua

par

par eſt, diligentia confecti ſint. Nam cum in Concinianis Cathalogis nongentae, & eo amplius numerentur opiniones, falſae illae quidem, minimeque ferendae, vos decem tantum, ni fallor, ſummum undecim ex tanto numero invenire potuiſtis, quas male ab Concina, vitioſeque deſcriptas fuiſſe quereremini: de quibus ipſis tamen ego iam injuria vos queſtos eſſe demonſtravi. Contra meminiſſe potes, ſi meas epiſtolas legiſti, numquam fere accerſitos abs te fuiſſe Dominicanos in ſubſidium earum opinionum, quas tui propugnarent, quin ego ſaepe erraſſe te, perque ſummam injuriam tribuiſſe Thomae, Antonino, Cajetano, aliiſque Thomiſtis errata tuorum tam luculenter evicerim, ut nullus tibi relinquatur tergiverſandi locus: quod ipſum paullo poſt, cum ad Suareſium venero, alio exemplo confirmabo, evincamque tributam abs te fuiſſe illis duobus Dominicanis, quos primo loco nominavi, falſam opinionem, quam illi nuſquam propugnarunt. Itaque cavete vobis ab iſtis Cathalogis, operamque date, ut ſint quammaxime accurati, minimeque ex Vivae & Moyae libris exſcripti; nam nos quidem eos diligenter expendemus, ſed tempore. At ne mul-

multum quidem confidere debetis ceteris Theologis, aut Caſuiſtis, qui licet minus mala fide, aeque tamen negligenter Thomam, alioſque noſtros, ut ſibi conſentientes, interdum laudarunt.

CCXI. Concina ecce, qui hujus negligentiae Suareſium accuſat Tom. 5. pag. 405., ubi diſſerens de praecepto annuae *Confeſſionis*, ſcribit hoc modo: „ Franciſcus „ Suarez Tom. 4. in 3. p. diſp. 3. ſect. 1. nu. 2. „ refert quoſdam Theologos docuiſſe hoc „ praeceptum non per ſe, ſed per accidens „ obligare, ratione nempe Euchariſtiae „ percipiendae, & ſubdit in hanc ſententiam iviſſe S. Thomam in 4. diſt. 17. „ q. 3. art. 1. quaeſtiunc. 4. & D. Antoninum „ 3. p. tit. 14. cap. 9. § 3. Mirum eſt, doctum & accuratum Theologum iſtius ſententiae patronos conſtituere Aquinatem, „ & Antoninum; cum ipſi in locis laudatis oppoſitum doceant..... Immerito „ itaque Suarez imponit Sanctis his doctoribus, quod docuerint praeceptum annuae „ Confeſſionis ſolum per accidens obligare „ cum aperte oppoſitum doceant.

Videtur hic tibi Concina injuſte criminari Suareſium, qui non ſcripſit, inquis, Thomam, & Antonium in eam ſententiam iviſ-

iviſſe, ſed tantum utrumque eam indicaſſe. Deinde, ſi quid ejuſmodi ſcripſiſſet, quod eidem Concina attribuit, nihil eſſe cauſſae, cur arguatur imposturae, propterea quod negari non poſſit, non ſolum indicari, ſed etiam defendi ab Thoma & Antonino locis ab Suareſio cit. eam ſententiam, fallique, aut fallere Concinam, qui eos contrariam propugnare contendat. Atqui negari poteſt, Noceti, & vero debet. Negari, inquam, debet, Thomam & Antoninum locis cit. non ſolum in eam ſententia ivisse; ſed etiam id, quod unum tibi Suareſius ſcripſisse videtur, eam tantum indicaſse. Cave tamen putes, me, cum utrumque demoſtravero, convictum eſse velle Suareſium imposturae. Non arguo hujus criminis virum, quem non arbitror ſimilem fuiſse Moyae & Vivae, cuique Thomam & Antoninum curſim legenti facile videri potuit, indicari ab iis ſententiam, quam reipſa omnino non in dicant. Non eſt tamen tibi, qui Thomae & Antonino iniuriam facere pergis, perinde ac Suareſio ignoſcendum, propterea quod, cum oritur controverſia, ut alibi dixi, quid ſenſerit ſcriptor, majore utendum ſit attentione in eo legendo; neque dignum excuſatione videatur, ſi quid in ejus oratio-

tione accipiatur, quod a verborum ſignificatione, totaque ſententia alienum deprehendatur.

Videamus igitur quemadmodum Thomae & Antonini ſententiam exponas, quibuſque argumentis confirmare coneris accuſationem tuam:,, Afferamus, inquis, prius verba Suarii loc. cit. ubi ſic: *Alii vero dicunt*
,, *per accidens obligari hominem ad confeſſionem ſemel in anno faciendam ratio-*
,, *ne communicationis, non tamen per ſe ex*
,, *vi proprii praecepti. Ita indicat D. Thomas diſt. 17. quaeſt. 3. art. 1. quaeſtiunc. 4. & quodlibet 1. art. 11. & D.*
,, *Antoninus 3. p. Tit. 14 cap. 19. § 3.*
,, Obiter adverto. P. Suarez non ſcribit,
,, eos SS. Doctores iviſse in illam ſenten-
,, tiam; ut non ſatis ſincere refert Pater
,, Concina: ſed illam in locis ab ipſo Sua
,, rio laudatis indicaſse, quod multo mi-
,, nus eſt ut per ſe patet,

Ego vero lectores, re cognita, intellecturos puto, nullum eſſe huic tuae animadverſioni locum, putideque vocari Concinam in ſuſpicionem malae fidei, cum quod ſcripſit Suarez, ita indicare Thomam & Antonium, ſi utriuſque locus conſideretur, perinde accipi debeat, quaſi eos ejuſmodi ſenten-

ten-

tentiam probaſse affirmarit. Et credo, te ipſum hujus animadverſionis nonnihil puduiſſe, cum quod reprehendis, idem diſſimulari poſse dicas. Quare pergis hoc modo ad alterum demonſtrandum., Hoc diſſimulato vi-
„ deamus, utrum S. Thomas & S. Antoni-
„ nus in locis laudatis a Suario doceant op-
„ poſitum, ut expreſse dicit P. Concina:
„ an vero indicent illam ſententiam, ut
„ dicit Suarez; atque ita patebit, uter ſit
„ impoſtor. Primus locus laudatus a P. Sua-
„ rez iſte eſt: *Ad confeſsionem actualiter fa-*
„ *ciendam obligatur aliquis dupliciter. Uno*
„ *modo per accidens: ſcilicet quando ad ali-*
„ *quid tenetur, quod non poteſt ſine pecca-*
„ *to facere, niſi confeſſus; tunc enim confi-*
„ *teri tenetur, ſicuti ſi debet Euchariſtiam*
„ *percipere, ad quam nullus poſt peccatum*
„ *mortale, niſi confeſsus accedere debet, co-*
„ *pia ſacerdotis oblata & neceſsitate non*
„ *urgente. Et inde venit obligatio, qua Ec-*
„ *cleſia omnes obligat ad ſemel in anno confi-*
„ *tendum: quia inſtituit, ut ſemel in anno,*
„ *ſcilicet in Paſcha, omnes ſacram commu-*
„ *nionem accipiant: & ideo ante tempus*
„ *illud confiteri tenentur. Alio modo obli-*
„ *gatur aliquis ad confeſsionem per ſe. & ſic*
„ *videtur eadem ratio eſse de confeſsione, &*
„ *de*

„ *de baptiſmo differendo*; *quia utrumque eſt*
„ *Sacramentum neceſſitatis*. Siſtamus hic. „
Siſtamus, quando ita placet, & audiamus animadverſiones tuas, & multitudinem argutiarum, quibus perſpicuum ſane locum, planamque Thomae ſententiam, quam Suareſius feſtinanter legens aſſecutus non eſt, corrumpere coneris. „ Sanctus
„ Thomas, inquis, in hoc loco non aſſignat
„ aliam rationem, cur Eccleſia praeceperit
„ annuam Confeſſionem, niſi *quia* praecepit
„ annuam communionem: non aſſignat
„ alium fontem, *unde veniat* obligatio an-
„ nuae Confeſſionis, niſi preceptum ſumen-
„ dae Euchareſtiae: affert hujuſmodi obli-
„ gationem in exemplum obligationis
„ *per accidens*, dum actu immoratur in
„ explicatione obligationis per accidens;
„ & poſtquam tranſiit ad explicandam
„ obligationem confeſſionis *per ſe* nun-
„ quam amplius nominat Confeſſionem *an-*
„ *nuam*; ſed loquitur de aliis temporibus,
„ & diſcurrit de confeſſione in genere, ſicu-
„ ti de dilatione baptiſmi. Et in hoc loco
„ ſaltem non indicat obligationem annuae
„ confeſſionis eſſe per accidens, non vero
„ per ſe, ſive eſſe ſolum ratione percipien-
„ dae Euchariſtiae? Provoco ad lectorum
„ judicium.

CCXII. Ego quoque; neque enim dubito, quin, ſi Thomam attente legent, judicaturi ſint, neque te, neque Suareſium hujus loci aſſecutos eſſe ſententiam. Nullo modo enim Thomas indicat hoc loco, præceptum annuæ *confeſſionis* habere vim obligandi ex praecepto annuæ *communionis*; quod ego tuas argutias ſingillatim refellendo breviter declarabo. Mitto primam: „Non aſſignat aliam rationem, cur Eccleſia præceperit annuam „ confeſſionem, niſi quia præcepit annuam „ communionem: „ nam quemadmodum afferat hanc rationem melius intelliges ex confutatione ceterarum animadverſionum.

Itaque quod addis: „ Non aſſignat alium „ fontem, unde veniat obligatio annuae „ confeſſionis, niſi praeceptum ſumendae „ Euchariſtiae „ id quidem oppido falſum eſt; neque ullo modo ex verbis Thomae elici poteſt. Is enim non indicat fontem *obligationis* annuae confeſſionis; vel unde habeat praeceptum annuae confeſſionis vim *obligandi*, ſed tantum cauſſam oſtendit, cur Eccleſia praeceptum annuae confeſſionis conjunxerit cum praecepto annuae communionis, & hanc cauſſam fuiſſe dicit *obligationem per accidens* praeponendi Euchariſtiae ſumptioni ſacramentum confeſſionis; ſive quod

quod *nullus poſt peccatum mortale, niſi confeſſus accedere* debeat ad ſumendam Euchariſtiam, *copia Sacerdotis oblata, & neceſſitate non urgente*. Quod autem hinc occaſionem ſumpſerit Eccleſia coniungendi cum praecepto annuae communionis praeceptum confeſſionis nihil impedit, quominus inſit in utroque praecepto vis *per ſe obligandi*; neque Thomas eam vim ineſſe negat, aut ſe negare ullo modo ſignificat.

Nihilo minus erras cum tertio loco adjungis: „ Affert huiuſmodi obligatio- „ nem in exemplum obligationis per acci- „ dens &c.„ Nego. Regusta Thomae locum, falſumque te dicere intelliges. Nam is primo explicat *obligationem per accidens* faciendae confeſſionis, & ait eſſe, *quando ad aliquid tenetur*, quod *non poteſt ſine peccato facere, niſi confeſſus*. Tum hujus *obligationis* hoc affert exemplum: *ſicut ſi debet Euchariſtiam percipere, ad quam nullus poſt peccatum mortale, niſi confeſſus accedere debet* &c. quod cum accipias de praecepto annuae communionis vehementer falleris; nam de Euchariſtia, quocumque tempore ſumatur, intelligi debet. Denique obiter monet, Eccleſiam propter hanc *obligationem*, cum praeciperet annuam *comunio-*

nionem, una praecepiſſe *confeſſionem*. Ex quibus ſequitur, ſignificari a divo Thoma, non id, quod dicis; præceptum confeſſionis *obligare per accidens*; ſed potius Eccleſiam ad eam obligationem, quae erat, *per accidens*, anteponendi Euchariſtiae ſumptioni ſacramentum confeſſionis, adjunxiſſe praecepti *obligationem*. Jam vero quod extremo loco animadvertis: „ poſtquam tranſiit ad explicandam obligationem con- „ feſſionis *per ſe*, nunquam amplius nomi- „ nat confeſſionem annuam, ſed loquitur „ de aliis temporibus, & diſcurrit de con- „ feſſione in genere ſicut de dilatione ba- „ ptiſmi „; quod, inquam, hoc modo animadvertis, id quidem ejuſmodi eſt, ut oſtendat, te aut non ſatis attente legiſſe Thomam; aut, ſi legiſti, ea tantum data opera ſumpſiſſe, quae ad fucum faciendum eſſent comparata. Itaque nihil erat cauſsae, cur Thomas de *obligatione* annuae confeſſionis, quam obiter tantum hoc loco commemorat, amplius loqueretur; cum ad explicandum id, quod ſibi propoſuerat: utrum qui peccat ſtatim confiteri teneatur, nihil haec *obligatio* praecepti omnino conduceret; ſed videndum eſſet, num quo alio modo, aliove tempore cogeretur homo peccata confiteri.

ri. Et vero, *ſi periculum mortis immineat etiam per ſe loquendo obligatur aliquis ad confeſſionem faciendam tunc, vel baptiſmum ſuſcipiendum*. Ex quibus Thomæ verbis intelligis, opinor, cum idcirco non amplius meminiſſe *obligationem* annuae confeſſionis, quod, cum vellet docere, quam mox is, qui peccavit, debeat confiteri; id quidem non ex obligatione praecepti, ſed ex ea, quae eſt rerum ad ſalutem conſequendam neceſſariarum, explicari deberet.

Nihil igitur ſcripſit Thomas, quo indicare videatur praeceptum annuae confeſſionis *per accidens* obligare; falſuſque eſt Suareſius, cum eum ſive hoc loco, de quo hactenus dictum eſt, ſive quodlib. 1. art. 11. cujus loci eadem, quae ſuperioris, eſt ſententia, ejuſmodi *obligationem* indicare putavit.

Mitto dicere de Antonino, qui cum Thomae locum deſcribat, doctrinam quoque tenere putandus eſt.

CCXIII. Venio ad id, quod cap. ix. prolixe diſputas de impoſtura, ſive ſententia, quam dictitas Suareſio tribuiſſe Concinam, cum ſcripſit T. *6*. pag. 404.: „ Unde colligendum „ ſit legem ſub mortali, aut ſub veniali ob- „ ligare ... P. Suarez lib. 3. cap. 25. num. 3.

 „ ex

„ ex intentione legiſlatoris id erui poſſe,
„ contendit . Negant alii, quia ſi materia
„ praecepta levis omnino ſit , nequit legiſ-
„ lator pro ſua voluntate eam gravi affice-
„ re obligatione . &c.

His , & aliis quibuſdam Concinae deſcriptis verbis, quibus ſententia Suareſii oppugnatur „ Impoſturam impactam hic „ Patri Suarez, inquis, lectorum oculis „ ita ſubjicio „ . Sed ſine Noceti , ut ego prius ſubjiciam tuis hujus impoſturae , ut tu quidem vocas, principes auctores . Hi ſunt Salmanticenſes , qui Tract. XI . cap. 2. punct. 1. num. 15. ita ſcribunt „ Inquires ter-
„ tio quomodo diſcernendum ſit an lex ,
„ idem eſt de praecepto , inducat gravem
„ obligationem ſub mortali , quomodo ve-
„ ro levem & ſolum ſub peccato veniali ?
„ R. nec poſſe colligi ſufficienter; legem
„ ſub mortali obligare ex ſola intentione
„ legiſlatoris ; ut voluit Suarez lib. 3. cap.
„ 25. num. 3. , ſiquidem etiam ſi legiſla-
„ tor velit ſub mortali obligare, ſi tamen
„ materia praecepta ſit levis, aut parva ſo-
„ lam venialem obligationem inducit .

Teneo jam quid reſpondeas . Te idcirco Concinae ſuccenſere , Salmanticenſibus non item , quod hi, in errorem imprudentes,

ni-

nihilque tale ſuſpicantes inciderint; Concina cum eo conſilio ad ſcribendum acceſſerit, ut libros probabiliſtarum e manibus ſtudioſorum eriperet, conſulto falſam opinionem Suareſio adfinxerit. Sed tu quoque tenes, ecquid ego ad tam novum, atque inhauditum excuſationis genus epiſtola tertia num. xl. & xli. tüm alibi ſaepe reſpondendum putarim. Nunc tantum quaero, cur ſin minus odio Salmanticenſium, at ſaltem ad tuendam Suareſii exiſtimationem nemo veſtrum eorum errorem emendandum curarit. Quod ſi dicis, id eo factum, quod non ita magnus eſſet error, ut Suareſii exiſtimationi multum obeſse crederetur; rurſus quaero, cur idem in chriſtianam Theologiam translatus adeo creverit, ut jam multum obeſſe & acri impoſturae accuſatione puniendus videretur?

Sed jam de Suareſii ſententia pauca dicamus. Fateor enim eam aſſecutos non eſſe Salmanticenſes; at ne tu quidem aſſecutus es, & quamquam de ea multa diſputes, qualis tamen ſit haud ſatis accurate proponis. Itaque non docet quidem Suareſius, uti ſcribunt Salmanticenſes, & Concina, ſitum eſſe in voluntate Legislatoris, ut quamquam materia ſit levis, graviter tamen peccet is, qui legem violat; contendit tamen,

men, hoc ſitum eſſe, ut ſi materia ſit gravis, non graviter delinquat, qui legi non obtemperat: quod quidem ex ejus verbis cap. 27. num. 3. perſpicue intelligitur: „
„ Difficultas ergo ſupereſt, quando eſt difformitas inter intentionem & materiam,
„ quæ difformitas poteſt eſſe duplex una,
„ per exceſſum, quia intendit obligare ſub
„ mortali in materia levi, & de hac jam
„ dictum eſt, non poſſe habere effectum
„ adaequatum intentioni, quia excedit
„ poteſtatem agentis, & tunc intentio operatur, quod poteſt, non quod vult. Alia
„ ergo diſproportio eſt per defectum, quia
„ Legislator intendit obligare ſub veniali
„ tantum in materia gravi. Et de hoc tantum puncto dicendum ſupereſt, an poſſit
„ legislator in materia capaci obligationis
„ ſub mortali temperare obligationem per
„ intentionem ſuam, qua vult tantum obligare ſub veniali „.

Tuetur, ut dixi, partem affirmantem, quam mea non intereſt probare, vel improbare. Quæ pro Suareſio diſputas cap. XCVIII. libelli tui, ea dilui epiſtola 2. num. XXI. cum de Azorio diſputarem.

CCXIV. Veniamus igitur ad Tamburinum, a cujus retractatione quemadmodum initium di-

dicendi feci, ita nunc faciam oportet; oſtendamque, quae contra abs te dicta ſunt in confut. meae prioris epiſtolae, ea ipſa cauſſam Tamburini facere deteriorem.

Sed primum te audiamus loc. cit. pag. 8. ita differentem: „ Ajo primo me rectiſſi-
„ me judicaſſe, & etiamnum judicare, re-
„ tractationem eſſe Tamburini, non vero
„ a Jeſuitis intruſam: nimirum vel reli-
„ ctam fuiſſe a Tamburino in aliquo ſuo
„ ſcripto: vel, quod verius puto, appoſitam,
„ ut ſit, in margine alicujus exemplaris
„ ex impreſſis ante damnationem; a quo
„ deinde prima editio veneta, & ex ipſa
„ aliae profectae ſint. Curſim indico, qui-
„ bus ad ita exiſtimandum adductus fue-
„ rim; & de eorum efficacia lectores judi-
„ cent.

Nullum legi ſcriptorem, qui ſaepius lectorum judicium appellet, praeter te, qui quarto quoque verbo, etiam cum maxime peccas, lectorum judicium fore dicis, ſit ne tibi, an mihi, aut Concinae aſſentiendum. An putas omnes, qui tua legent, ſimiles fore illius amici tui, qui ait non aliter ſe de hac noſtra controverſia judicaturum, quam abs te judicatum eſſe cognoſceret? Falleris. Nam iſtius ingenii homines, qui ſe totos alie-

alieno judicio dedant perpaucos habet hoc tempore Reſpublica litteratorum. Multos quidem invenies iſtius Grammatici ſimiles, ſed harum rerum tam imperitos, atque ille eſt latinorum verborum.

Perge tamen, & expone lectoribus, quibus rebus adductus judicaris, retractionem illam eſſe Tamburini. „ Tamburinus,
„ inquis, novem annos vixit poſt damna-
„ tionem propoſitionum editam ab Alexan-
„ dro VII. atque idcirco & ſpatium habuit,
„ & rationem retractandi errorem ſuum.

„ In opere de praeceptis Eccleſiæ il-
„ lum reipſa diſertiſſime retractavit, &
„ quidem propter hanc ipſam rationem,
„ quia ejus doctrina prior damnata fuerat
„ ab Alexandro VII. ut patet ex loco alla-
„ to.

„ In omnibus editionibus Venetis an.
„ 1680, 1687. 1692., 1702., 1707, 1719,
„ & 1734. retractationem lego de qua eſt
„ controverſia, & illam video retractationi,
„ quae habetur de praeceptis Eccleſiæ, om-
„ nino conſentaneam.

„ Jeſuitae in nullum alium locum
„ Tamburini, quamquam indigeret, re-
„ tractationem ullam intruſerunt: neque
„ eſt potior ratio, cur de hoc uno tanto-
„ pere laboraverint. „ De-

„ Demum nullum eſt argumentum,
„ ut clarius infra patebit, affingendi Jeſui-
„ tis hoc artificioſum mendacium; ut vo-
„ luerint ponere in ore Tamburini (a me
„ olim traditam) verba, quæ ipſius non
„ eſſent: & multo minus, ut voluerint in-
„ trudere in opus de praeceptis eccleſiae
„ ſub nomine Tamburini ſententiam, quam
„ ipſe non tradidiſſet.

„ Et haec omnia collectim ſumpta
„ non ſatis ſunt; ut quilibet cordatus pro
„ certo habeat, eam retractationem fuiſſe
„ non dico a Tamburino mortuo pro Vene-
„ tis editionibus exaratam, ſed a Tamburi-
„ no vivo relictam.

Haec quidem ſatis erant, ut tacitus tecum cogitares, eam retractationem fuiſſe ab Tamburino relictam; ſed ut ſcriptorem, qui eam omiſiſſet, malae fidei accuſares, ſatis non erat. Nam qui legit editiones Venetas, cum nullo indicio intelligat, eam retractationem pertinere ad Tamburinum, quin immo, ſi noverit eam non eſſe in editione Lugdunenſi an. 1679., ad Tamburinum nullo modo pertinere intelligat, nihil aliud cogitare poteſt, quam concinnatam e veſtigio fuiſſe ab eo, qui editionem Venetam ann. 1680, cui primum adjuncta eſt, cu-

curaret, ſive quia animadverterit ipſe, caveri Alexandri decreto, ne amplius ea doctrina ederetur; ſive quia cenſor ob eandem cauſsam editionem permittere noluerit. Nam allatum ex Sicilia fuiſse Venetias ullum exemplum operum Tamberini, in quo eſſet ab eo ſcripta *retractatio*; aut quemquam Venetiis ſcribendum putaſſe Caltaſſinectam quaeſitum, num quam retractationem ſcriptam reliquiſſet Tamburinus, tam ridiculum eſt, quam alia pleraque reſponſa Probabiliſtarum. Nam quanti erat, amabo te, inconſultis Tamburini adverſariis, eundem ita loquentem inducere. *Adverſus doctrinam hanc olim a me bona fide traditam inſurgunt hodie duae propoſitiones ab Alexandro VII. damnatae, cui omnino parendum eſt.* Defendes ne non potuiſſe quemquam Tamburinum ita loquentem inducere, niſi prae oculis haberet ſcriptam ab Tamburino ipſo retractationem? Vide Noceti, ne ſi hoc defendere velis, & illud ſedulo opponas, quod „ Nullum eſt argumentum affingendi „ Jeſuitis hoc artificioſum mendacium, ut „ voluerint ponere in ore Tamburini: *a* „ *me olim traditam* „ magnam praebeas viris doctis, qui liberi ſunt a ſtudio partium, occaſionem irridendi tui. Nam hi tibi reſpon-

ſpondebunt, multo facilius eſſe Tamburini, quam Concinae fingere, aut Noriſii *retractationem*. Ego quidem nihil Jeſuitis affinxi; neque enim uſquam dixi, decretum eſſe in aliqua *veſtra Congregatione Generali*, ut operibus Tamburini illa adjungeretur *retractatio*. At quod cotendas, aut perſuadere cuiquam te poſſe putes, nullum Caſuiſtam auſum eſſe brevem illam confingere, operibuſque Tamburini adjungere *retractationem*, monſtri ſimile videtur: quaſi ſexcentis exemplis demonſtrari non poſſit, nunquam ſibi religioni vertiſſe Probabiliſtas, ne quid adjungerent, detraherentve operibus Caſuiſtarum. Quis, ut uno rem confirmem, in editionibus Lugdunenſibus ann. 1669. & 1679. horum ipſorum Tamburini operum ſuſtulit ex lib. 3. in Decalog. cap. 11. duos integros paragraphos? Quis eoſdem rurſus adjunxit editionibus Venetis? In his enim leguntur paragraphi illi duo, in Lugdunenſibus non item. Hoc ne etiam ut fieret Caltaniſſectae ſcriptum reliquit Tamburinus? Aut idem mortuus, quod ab editionibus Lugdunenſibus detractum fuerat, id rurſus Venetis adjungendum curavit? Sed dicam hac de re rurſus opportuno loco. Nunc tantum conſideres velim, an, his perſpe-

ſpectis exemplis, quidquam impediat, quominus operi de *Metod. Comm.* necnon alii de *Præcept. Eccl.* clanculum ab Caſuiſtis adjunctam fuiſſe credamus retractationem.

CCXV. At, velis nolis, inquies, Tamburinus Caltaniſſectae ſcriptam reliquit hanc *retractationem*: *Memor eſto poſt haec mea ſcripta, imo typis evulgata exiſſe has duas ſequentes propoſitiones damnatas ab Alexandro VII.* Mandatum Tridentini factum &c. Illa particula, quamprimum &c. *Quae cenſurae ſunt manifeſte contra hic a me dicta: dicta, & bona fide evulgata ante enunciati Pontificis decretum, cui omnino parendum a nobis eſt*. Ego vero non video, cur negem ita ſcripſiſſe, Tamburinum in exemplari ſuorum operum. At quid proficere te poſſe putes iſta *retractatione*, quae tibi cum tot ſubſcriptionibus Caltaniſſecta miſſa eſt, quamque ad me valide refellendum in quadam tua ad neſcio quem italice ſcripta Epiſtola edendam curaſti; ſatis intelligere non poſſum. Nam ſi aut eſſe Concinam, qui eam non commemoravit, impoſtorem: aut eam Tamburino, quem de retractatione ſcribenda nunquam cogitaſſe dixi, quidquam prodeſſe oportere cenſes, vehementer falleris. Ut enim coerceas, vincaſque, reum eſſe Concinam ſtudioſae praeteri-

ritionis, hoc tibi ante demonſtrandum eſt, aut retractationem, quae in venetis editionibus legitur, (do enim tibi legiſſe Concinam, cum ſcriberet hoc loc. de Tamburino, editiones Venetas) ex ea expreſſam eſſe, quae tibi Caltaniſſecta miſſa eſt; aut navigandum in Siciliam fuiſſe Concinae quaeſitum Caltaniſſectæ, num quam retractationem ſcriptam reliquiſset Tamburinus. Sed cum primum effici nulla ratione poſſit; quinimmo rebus omnibus perſpectis, facile contrarium appareat; alterum autem ſit plane ridiculum; reliquum eſt, ut ſupervacaneum omnino fuerit tam ſtudioſe quaerere, typiſque edere retractationem, quae ad convincendum Concinam malae fidei nihil attineret.

At ſaltem prodeſt Tamburino. Nihil minus. Jam dixi Epiſtola 1. num. xiv, debuiſſe Tamburinum dare operam, ut ſemel, & iterum ſeorſum ederetur opus illud de *Method. Comm.* quemadmodum ſaepe antea editum fuerat ejus ſimile de *Method. Confeſ.* utque ex eo tota expungeretur diſputatio, quae verborum Concilii interpretationem contineret. Nunc addo, quod tibi haud ſane novum accidere deberet, reipſa edita fuiſſe ejus opera primum Venet. ann. 1667., & rurſum Lugduni ann. 1669. vivo quidem, & for-

te non neſcio ipſo Tamburino, neque tamen ullam in his editionibus comparere retractationem. Neque vero dicas, eas editiones eſse admodum raras, ſic ut earum vix ullum hodie exemplum reperiatur. Nam primum nihil hoc attinet ad excuſandum Tamburinum, eo quod non eſsent rarae tum, cum primo curarentur, iſque recens proſcriptum errorem ſine *retractatione* vulgari permitteret. Deinde ne nunc quidem tam rarae ſunt, ut earum exempla pleraque non inveniantur. Nam priorem non ſolum extare ſcio Lucae in Bibliotheca Fratrum Servorum B.M. V.; necnon in altera Canonicorum Regularium S.Frigdiani; ſed etiam vidi Romae non ita pridem in officina Barbielliniorum. Alteram autem Lugdunenſem, quam initio videre non potui, nunc habeo domi; & miror te de ea ſcribere in Confut. pag. 10. „ De alia
„ Lugdunenſi an. 1669. ab Alegambe citata
„ non loquor, quia tum a Patre Dinellio,
„ tum a me neſcitur ubinam Gentium la-
„ teat „. Ita ne vero? Sciebas, latere Caltaniſsectae retractationem Tamburini; & neſciebas, ubi nam gentium lateret ejuſdem operum editio, quam ego emi in Circo Agonali; & de qua vir ille doctiſſimus Johannes Antonius Ponce Ord. Minim. Sancti Franci-

ſci

ſci de Paula, qui priorem ad te meam Epiſtolam in Hiſpania rurſus edendam prolixe approbavit, pag. 1111. ſcribit hoc modo: haec editio „ multorum manibus teritur, „ quum non ſit admodum rara, etenim, „ ut die uno reſcire licuit, in Regia etiam „ Bibliotheca, nec non in aliis, ſcilicet „ Clericorum S. Philippi Neri, & Cleri- „ corum Salvaltoris, & Cappuccinorum „ S. Antonii; atque haec quidem uno in lo- „ co Matrit. „. Tunc, inquam, tam diligens rerum ad Tamburinum pertinentium invſtigator, ut etiam ejus ſcrinia diligenter excuti juſſeris, tam parum cupidus hujus editionis videndae fuiſti, ut ne inquirendam quidem putaris? Illud etiam forte neſcire te dices, quamobrem Tamburinus tam cupidus parendi Alexandri decreto, ut abditus in cellula ſua ſcripſerit in exemplari ſuorum operum eidem omnino eſse parendum, non publicarit, ut par erat, his editionibus erroris ſui retractationem? Niſi forte eo tibi confugiendum putas, ut eo inſcio, atque imprudente curatas eſse dicas. At ego vellem quidem prodeſse tibi, & Tamburino hoc perfugium poſset; ſed vereor, ne non poſſit; cum in fronte Lugdunenſis legatur: *Editio proſtrema ab Auctore multis additioni-*

bus, & correctionibus prae ceteris locupletata; idemque fere legatur in Veneta. Ex quibus colligitur, factum fuiſſe Tamburinum ab utroque Bibliopola de nova, quae curabatur, operum ſuorum editione certiorem.

CCXVI. At ego volo eſse tecum liberalis. Demus, id, quod accidere non eſt difficile, ita mentitos eſse Bibliopolas, ut eas editiones redderent vendibiliores: atque adeo nihil de iis reſcivifse Tamburinum. Quid? Illud ne etiam ignorabat, haud raro a bibliopolis opera ſua typis edi, aut difficile non eſse, ut eadem Venetiis, vel Lugduni rurſus ederentur? Cur igitur non dedit operam, ne qua nova vivo ſe fieret editio, quin errorem ſuum emendaret? Cur non monuit ex. ca. per litteras unum aliquem Venetiis, & item alterum Lugduni agentem Socium: darent operam, ut ex ſuis operibus, ſi forte rurſus ederentur, illa diſputatio expungeretur? Cur ſaltem id non praeſtitit, poſtquam reſcivit, eadem Venetiis an. 1667. edita fuiſse?

Luditis mihi credite Reverendi Probabiliſtæ non me, aut Concinam, ſed Romanum Pontificem; cum, ſi abditus in cellula ſua ſcripſerit caſuiſta neſcio quid retractationis, & interim ſiverit quarto quoque anno proſcriptas edi, vulgarique doctrinas par-

parviſse eum dicitis Pontificis decreto, & eum, qui neget, accuſatis imposturae. Nam quid jubet, quidve fieri vetat Alexander VII.? Recita „ Ut quicumque illas „ (propoſitiones) aut conjunctim aut di„ viſim docuerit, defenderit, ediderit, aut „ de eis etiam diſputative publice, aut pri„ vatim tractaverit, niſi forſan impugnan„ do, ipſo facto incidat in excommunicatio„ nem &c.

Quid igitur? Paruitne Tamburinus huic decreto? Tamburinus, inquam „ qui „ novem annos vixit poſt damnationem „ propoſitionum editam ab Alexandro VII, „ atque idcirco, & ſpatium habuit & ra„ tionem retractandi errorem ſuum „. Miror ſi paruiſſe vis; ſi non vis, magis miror, quod ſcriptam ab eo clanculum oſtentes *retractationem*, ut paruiſſe videatur. Nam cum vetuerit Pontifex, ne ulla amplius traderetur, defenderetur, typiſve ederetur propoſitio ex iis, quas proſcripſerat; nemo dicet, huic juſſioni paruiſſe eum, qui reminiſcens, ſe aliquot earum propoſitionum olim defendiſſe, omnique argumentorum genere confirmaſſe, ſcripſit quidem in exemplari ſuorum operum *retractationem*, vel: ei decreto eſse parendum; tamen id, quod

 ſcrip-

ſcripſit, cujuſque modi eſset, nunquam publicavit, deditve operam, ut publicaretur; quamquam ſciret, Bibliopolas continentur novas eorum operum editiones curare, jamque eſse curatas duas, minime defectis iis, quae Pontifex improbaſset, graviſſimaque propoſita paena, ne amplius ederentur, prohibuiſset. Nam quis tam eſset contumax in Pontifices, ut, ſi iidem contenti eſsent iſta clandeſtina obedientia, publiceque contra omnia facere liceret, ac eorum decretis decernitur, parere recuſaret?

Dixi cujuſque modi eſset id, quod in exemplari ſuorum operum ſcripſit Tamburinus: Nam ne ſi publicaſset quidem illam *retractationem* mihi videtur dici poſse Alexandri decreto ita, ut par erat, paruiſse. Idem tibi videbitur ſi decretum attente conſiderabis. Nam qui tam diligenter cavet, nequis amplius eas propoſitiones doceat, defendat, typiſve edat, aut de iis *etiam diſputative publice, aut privatim* tractet, *niſi forſan impugnando*, is certe poſtulat, non ut prolixe diſputationi, in qua una & altera acriter propugnetur, tantum adſcribatur: eas propoſitiones eſse proſcriptas; ſed ut eadem diſputatio, vel omnino expungatur, vel accurate refellatur, argumentaque omnia,

nia, quae ad eas confirmandas comparata fuerant, diſsolvantur. Quare debuiſset horum alterutrum omnino perficere Tamburinus, quando tam clare noverat, Alexandri decreto eſſe parendum: ſed cum novem annorum intervallo neutrum praeſtiterit, nihil aliud dici poteſt, niſi eo ſcripſiſſe retractationem, ut per eam ſibi caveret; ſed integram reliquiſſe de ea ſententia diſputationem, ut intelligeretur, damnatam ab Pontificem fuiſſe verborum Concilii interpretationem, quam ipſe firmis, ſolidiſque argumentis confirmaſset.

Hactenus de retractatione. Ex quibus intelligas velim, ut etiam ſcripſi Epiſtola I. num. xv. quantam Concina habuiſſet dicendi copiam, ſi retractationem illam commemoraſset, contra Tamburinum, qui quidem non paruit, ut aequum erat, Alexandri decreto, contra rationem probabiliſtarum, quam nunc magis pateſeci, emendandi libros, & incruſtandi errores ſuorum Theologorum; denique contra editores operum Tamburini praeſertim ann. 1607, 1669, & 1679. qui diſputationem illam, ut Pontifex praeceperat, expungere neglexerunt.

CCXVII. Videamus nunc de reliquis Tamburini ſententiis. Et primum occurrit caput *De Tamburino primo.*

 libel-

libelli tui primum, ubi evidentem vocas impoſturam, quod Concina ſcribit Tom. 1. pag. 62. defendiſse Tamburinum lib. 2. in decalog. cap. 1. §. 1 num. 8. damnatam propoſitionem : *Satis eſt actum fidei ſemel in vita elicere* . Quid igitur docet Tamburinus loc. cit.? Quid ſibi volunt haec verba : „ Vel „ primo ſermo eſt de actu fidei neceſſario „ neceſſitate ſalutis : & hunc quidem ſemel „ in vita elicere ſatis eſſe modo vidimus „ num. 3. „ Et numero quidem 3. haec habet : „ Nam ex neceſſitate medii ſemel ſuffi- „ cit. „ An quia Tamburinus diſerte loquitur de *neceſſitate* ſalutis , quam num. 2. diſtinguit a *neceſſitate* praecepti , idcirco dici non poteſt damnatam defendere ſententiam? Ita plane, inquis pag. 2. „ Illa propoſitio 17. „ damnata ab Innocentio XI. : *ſatis eſt* „ *actum fidei ſemel in vita dicere* , aequiva- „ let huic univerſali : *nulla eſt neceſſitas eli-* „ *ciendi in vita actum fidei pluſquam ſemel* „ Opinio Tamburini aequivalet huic parti- „ culari : *non eſt neceſſitas medii eliciendi* „ *in vita actum fidei pluſquam ſemel* .

„ Jam vero vel P. Concina putat has „ duas propoſitiones eſſe valde diverſas , „ vel non putat . Si ſecundum ; revincetur „ a quolibet ſummuliſta, qui noverit, quan-

„ tum

„ tum diſcrimen intercedat inter propoſi-
„ tionem univerſalem , & particularem ,
„ inter genus , & ſpeciem . Si primum ,
„ ideſt ſi putat, eſſe valde diverſas : ergo
„ impoſtura eſt , Tamburinum docuiſſe pri-
„ mam propoſitionem ; cum docuerit , ut
„ evidenter oſtendimus, ſolum ſecundam„ .
Ludis, Noceti , an ſerio agis ? Te ne tanta confidentia primum, quae Concina ſcribit , ea praeterire , ut viam tibi ad eum accuſandum aperias : deinde, quae in Tamburino perſpicua ſunt , ea inficiari , ut eum damnatae Theſis efficias non eſſe auctorem , quem non hujus modo,de qua eſt ſermo ; ſed etiam ceterarum ad fidem, ſpem, & charitatem pertinentium , quas Alexander VII. , & Inno : XI. proſcripſerunt, auctorem fuiſſe conſtat ? Itaque ad Concinam quod attinet, is certe non tacuit , Tamburinum loqui de *neceſſitate* ſalutis, ejuſque ſententiam ita expoſuit , ut tu ipſe exponi debere contendis: ſcribit enim loc. cit. ubi laxas quaſdam caſuiſtarum de fide, ſpe,& charitate ſententias colligit ; num. 3. hoc modo : „ *Satis eſt*
„ *actum fidei ſemel in vita elicere* . Hanc
„ quoque opinionem docet Tamburinus
„ loc. cit. num. 8. ubi ait : Si ſermo eſt de
„ actu fidei neceſſario neceſſitate ſalutis ; &

 „ hunc

„ hunc quidem ſemel in vita elicere ſatis
„ eſſe modo vidimus num. 3. „ Hoc, inquam, modo ſcribit Concina, ex quibus liquet, non ipſum minus accurate deſcripſiſſe Tamburini ſententiam, ſed omiſsa abs te fuiſse, quae is protulit, Tamburini verba, ut locum haberes cavillandi, Tamburinum loqui de neceſſitate ſalutis, Concinam id tacere, & tamen in damnato errore Tamburinum fuiſse affirmare.

CCXVIII. Non expendo, quanti interſit, Tamburinum locutum eſse de *neceſſitate* ſalutis, quominus in damnato errore fuiſse dicatur; nam ſatis eſt, ut oſtendam, idem omnino ſenſiſse de neceſſitate praecepti, proindeque idipſum propugnaſse, quod cum damnata theſi tu ipſe convenire fateris: nullam eſse neceſſitatem *eliciendi in vita actum fidei pluſquam ſemel.* Ait igitur num. *9.* „ Vel ſecundo
„ eſt ſermo de actu fidei ex neceſſitate prae-
„ cepti; quo ſcilicet obligamur credere ea,
„ quae diximus num. 5. Sane nondum ob-
„ viam habui Doctores, qui id explicando
„ mihi ſatisfecerint. Unde omnibus perpen-
„ ſis, ſubdendo tamen, ut hoc, ita & alia om-
„ nia mea S.R.E. judicio, puto per ſe, & di-
„ recte nunquam obligari fideles ad creden-
„ da praedicta myſteria nec implicite, nec

„ ex-

„ explicite ex vi neceſſitatis præcepti fidei „ (nam medii ſimul,& praecepti jam modo „ dictum eſt qua ratione ſemel , & ad quae „ myſteria credenda ſit obligatio) ſaepiſſi- „ me vero obligari per accidens ex vi alio- „ rum praeceptorum „ .

Mirum eſt , te , tametſi hunc locum Tamburini deſcripſeris cap. 2. negare tamen , Tamburinum cum hanc , de qua eſt ſermo : *ſatis eſt actum fidei ſemel in vita elicere* ; tum alteram hujus ſimilem : *ſufficit illa myſteria ſemel crediſſe*, defendiſse propoſitionem ; urgereque Concinam, ut eas ſi poteſt , *indefinitas, illimitatas , & aequi valenter univerſales* reperiat in operibus Tamburini . Sed dic , amabo te, quum Tamburinus actum fidei elici oportere neget neceſſitate ſalutis ; neget item neceſſitate praecepti ; ſic ut neceſſitate ſalutis ſemel tantum in vita ; neceſſitate praecepti nunquam elici oportere contendat , quam tandem eum reliquiſse putas eliciendi neceſſitatem ? An illam , quam vocant *per accidens, & ex vi aliorum praeceptorum*, ut ipſe loquitur in extremo teſtimonio Tamburinus ? Hanc ipſam,inquis pag.4. ubi deſcriptis iiſdem Tamburini verbis , ita peroras : „ Tantum abeſt , ut negaverit omnem ne-

„ ceſſi-

„ neceſſitatem credendi pluſquam ſemel, ut
„ negant illae duae propoſitiones proſcrip-
„ tae, quas ipſi affingit P. Concina.„

Hic ego te ferre non poſsum, cum propoſitiones illas duas, quas Eccleſia proſcripſit, ita exponas, ut totum inſtaures, & prope revoces impium errorem Caſuiſtarum, qui fidem, ſpem, & charitatem ex animis Chriſtianorum funditus evellere conarentur. Hoc etiam deerat, ut Eccleſia, cum eas propoſitiones proſcripſit, nihil aliud damnaſse diceretur, niſi quod nemo unus ne per ſomnium quidem cogitavit, nullam eſſe neceſſitatem (ne *per accidens* quidem, & ex vi aliorum praeceptorum) *eliciendi in vita actum fidei pluſquam ſemel*. Itaque, ſi loquamur de neceſſitate ſalutis, *ſatis eſt actum fidei ſemel in vita elicere*; aut *ſufficit illa myſteria ſemel credidiſſe*; ſi autem ſermo ſit de neceſſitate praecepti, *homo nullo unquam vitae ſuae tempore tenetur elicere actum fidei, ſpei, & charitatis ex vi praeceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium*; neque eos Caſuiſtas, qui haec docerent, Eccleſia damnavit, ſed eos tantum, qui cum hanc vim per ſe obligandi, tum *obligationem per accidens*, & ex vi aliorum praeceptorum negarent. Ita tu quidem diſpu-

ſputas. Sed cum nulli fuerint, qui *obligationem per accid.* negarint, teſte ipſo Viva in expoſit. propoſ. *homo nullo unquam &c.* ubi ait: „ Hanc ſecundam obligationem ex vi alio- „ rum praeceptorum nemo unus negavit „ ſequitur id, quod eſt inſolentiſſimum, & Eccleſiae valde injurioſum, proſcriptas ab ea fuiſse propoſitiones quatuor cum fide, ſpe, & charitate maxime pugnantes, quae tamen nuſquam reperiantur. Atqui certum eſt, cum Alexandrum VII. qui damnavit propoſitionem: *homo nullo unquam vitae ſuae tempore &c.* tum Innocentium XI, qui tres alias improbavit: 16. *Fides non cenſetur cadere ſub praeceptum ſpeciale & ſecundum ſe*: 17. *ſatis eſt actum Fidei ſemel in vita elicere*: 65. *ſufficit illa myſteria ſemel credidiſse*, non ignoraſse, diſtingui ſolere a Caſuiſtis *obligationem per ſe* ab ea, quam per *accidens* appellant; & quamquam nemo unus hanc poſteriorem negare auderet, eſse tamen plerosque, qui priorem inficiarentur, & nullam omnino eſse contenderent; proindeque eo ſpectaſse decretis ſuis, ut horum improbam, perverſamque doctrinam exterminarent.

CCXIX. Noli igitur, Noceti, quod illi improbarunt, diriſque devoverunt, id rurſus vel-

velle defendere; noli amplius ſcribere id; quod ſcribis pag. 5.,,. Quod ſi ſaepiſſime eli-
,, ciatur actus fidei, tametſi ex vi aliorum
,, praeceptorum; ut exigit Tamburinus,
,, quod attinet ad praxim tuti ſumus; tunc
,, enim ſatisfit cuicumque obligationi per
,, ſe, ut in re ſimili concedit P. Concina in-
,, ferius pag. 342.,,

Concina recte docet; ſed haec tua deterrima ſunt; & eo valent, ut dixi, ut eas caſuiſtarum opiniones, quas Eccleſia damnavit, damnatas non eſse pervincant. Ad *praxim* enim quod attinet, perſuaſum homini chriſtiano eſse debet, extare praecepta illa Fidei, Spei, Charitatis, quae *obligent per ſe*, quaeque negabant caſuiſtae, imprimiſque Tamburinus; & ſi forte concurrant illae duae *obligationes per ſe, & per accidens*, ſe quidem uno tempore, unoque actu fidei &c. utrique ſatisfacturum; ſed ſi actum fidei &c. elicere omittat, non modo eam, quam *per accidens* appellant, ſed etiam eam, quae longe gravior eſt, & *per ſe* nominatur, omnino violaturum. Quum hoc proſtremum neges, aut te negare ex tua oratione neceſsario ſequatur, qua ratione confidenter jactitas: *quod attinet ad praxim tuti ſumus*? An tutum reddit Chriſtianum, qui ei perſua-

ſuadet, non eſse *obligationem*, quam eccleſia extare declarat, & quam ſi ille extare cogitet, facilius colliget ſe ſe, animumque attendet ad cavendum, ne quam faciat ſui officii intermiſſionem? Qua ratione Concinam quaſi tibi conſentientem inducis, cum contra maxime repugnet, eoque valeat ejus oratio, ut hac tua, quam mox deſcripſi, proſcriptas opiniones defendi intelligatur? Itaque audi quid doceat loc. abs te indicato pag. 343.

„ Obſerves velim te implere poſse
„ praeceptum charitatis *per ſe*, etiam quan-
„ do illud obſervas tempore, quo obligat
„ *per accidens*. En exemplum. Agnoſcis
„ quod actus amoris Dei efficax remedium
„ ſit ad repellendam gravem tentationem
„ ſive luxuriae, ſive odii, quà vexaris die
„ Dominico, in quo ſupponimus praece-
„ ptum charitatis obligare *per ſe*. Si tu eli-
„ cis actum amoris, quo te tentationis la-
„ ſcivae periculo ſubducis; utrumque prae-
„ ceptum implevisti, caſtitatis, & chari-
„ tatis: quoniam tametſi hoc praeceptum
„ charitatis obliget *per ſe*, non propterea
„ impedit, quominus eliciatur actus impera-
„ tus ob finem poenitentiae, propulſandi
„ tentationem, & evadendi damnationem.

„ Igi-

„ Igitur quandocumque eliciatur actus charitatis, ſive abſolute abſque ullo reſpectu ad aliquem finem aſsequendum, ſive „ propter poenitentiam; ſemper valet ad „ implendum praeceptum per ſe pluries diligendi Deum: & ſi illo die, quo actum „ amoris edis ad finem ſervandi caſtitatem, „ obligat per ſe charitatis praeceptum, „ obſervas reapſe mandatum charitatis; ſi „ vero tali die,quo tentatione vexaris,mandatum charitatis per ſe non obligat, ſi „ tentationi laſcivae ſuccumbis, peccas „ contra praeceptum caſtitatis, ſecus contra praeceptum charitatis.

Haec probo; tua non ſolum non probo, ſed etiam proſcripta eſse, rurſuſque proſcribi oportere judico, quia haec praecepta, quae quidem Eccleſia extare declaravit, aperte tollunt, eliciendorumque actuum fidei, ſpei, & charitatis non aliam, niſi quam *per accidens* vocant, & ex aliis praeceptis oritur, relinquunt *obligationem*.

CCXX. Extremum eſt, ut duo te moneam; primum eſt, ejuſmodi eſse initium libelli tui ut ex eo ſolo intelligatur, quantum quidem ego judicare poſsum, dignum eſse damnatione, eo quod in his duobus ejus prioribus capitibus proſcripta ab Eccleſia doctrina, & qui eam

eam acriter propugnavit, aperte defendatur. Et tale ſane debuit eſſe initium ejus operis, quo *Chriſtiana Theologia* acriter oppugnatur.

Alterum eſt, mirari me, & miraturos omnes bonos, qui fieri poſſit, ut cum Alexander VII. juſserit, ne amplius Typis ederentur eae propoſitiones, quas proſcripſerat; aut ne quiſquam de iis neque publice, neque privatim niſi forte oppugnandi cauſsa diſputare auderet, & eum, qui auderet, excommunicationis poena plectendum ſtatuerit, identidem tamen edantur, editaque fuerint non ita pridem Venetiis opera Tamburini, in quibus cum hae quatuor de praeceptis fidei &c. tum aliae pleraeque aperte, explicateque propugnantur morum ſententiae, quae certe eo decreto, tum altero ejuſdem, & tertio Innocentii XI. aperte proſcribuntur. Quod ſi dicis corrumpi ſcriptorum opera, ſi quidquam ex iis expungatur; eademque ita, ut ab auctoribus profecta ſunt, Typis edi oportere: reſpondebo, tanti non eſſe caſuiſtarum opera, ut non pluris ſalus Chriſtianorum; Romanorumque Pontificum decreta, quam eorumdem operum integritas aeſtimanda ſit; praeſertim, quod cum ea corrumpi viſum eſt conduce-

ducere ad tuendam famam Auctorum, nihil obſtiterit hoc integritatis ſtudium quominus ea, quæ reprehenſione digna eſſent, auctorumque nimium proclive ad *laxitatem* ingenium patefacerent, omnino tollerentur. Noſti enim, ut cetera exempla praeteream, ſublatam eſſe ex operibus Sancheſii ſententiam illam, qua in genere luxuriae tueretur materiae parvitatem.

Sed demus integra edi oportere Caſuiſtarum opera. An hoc impedit, quominus errores, proſcriptaeque morum ſententiae, quas illi bona fide defenderunt, adjunctis animadverſionibus emendentur? Cur ut ſaepe vindiciis, eorumque, a quibus oppugnantur, ineptis reprehenſionibus, ita notis, & animadverſionibus non augentur, quibus errata, praeſertim ea, quae ab Eccleſia damnata ſunt, lectoribus demonſtrentur? Cur is, qui Venetiis curavit non ita pridem operum Tamburini editionem, malluit mecum inepte cavillari, & Tamburinum ipſum, nihilo Moya, aut hujus ſimili meliorem Caſuiſtam tueri, quam dare operam, ut quae in Tamburino, nimium *laxa*, aut falſa eſſent, ea nonniſi confutata legerentur? Itaque multo ſatius fuiſſet hoc perficere, ne quem imperitum, aut parum pu-

intelligentem in eo legendo falli contingeret, praeſertim in iis, quae nondum proſcripta ſunt, quam eorum, quae a nobis reprehenſa, & confutata eſsent, ullam ſuſcipere defenſionem, tuerique pergere Caſuiſtam, quem nemo ſapiens bonum, dignumq. putabit, quem quisquam defendere auderet? Verum de hoc vindice Tamburini dicam, ſi opus erit, ſed tempore.

CCXXI. Jam vero profers c.VII. haec verba Concinae ex Tom. I. pag. 458. „ Duo Re-
„ ligioſi ejuſdem Coenobii, orta rixa, omit-
„ tunt conſuetam ſalutationem; peccantne
„ mortaliter? Reſpond... affirmant Tamburi-
„ nus lib. 5. cap. 1. (non, ut ſcribis, 5.) §. 3.
„ num. 13. Sporer tract. 2. cap. 6. ſect. 2. num.
„ 30. Addit Tamburinus, cui de more ſub-
„ ſcribit Sporer, excuſari illos poſſe a culpa
„ gravi, ſi probata eorum virtus comperta
„ eſset. Verum ſuſpecta mihi evaderet eo-
„ rum virtus vel ex hoc, quod mutua ejuſ-
„ modi conſueta officia omitterent. Brevi-
„ tas temporis, levitaſque diſſidii, & aliae
„ circumſtantiae poſſunt interdum a gravi
„ excuſare culpa. Probata inimicorum vir-
„ tus ſatis minime eſt ad purgandam a cri-
„ mine ejuſmodi omiſſionem.

Hic dicis, ne Tamburinum quidem, ut

levem judicet culpam horum duorum Religioſorum, contentum eſſe eorum probata virtute; ſed praeterea ea omnia requirere, quae Concina requirit, nimirum, ut leve aliquod fuerit diſſidium, levis ejuſdem cauſſa, alia ejuſmodi, quae levitatem culpae ſignificent. Qua in re tibi aſſentior; ſcribit enim Tamburinus loco indicato: „ Excuſari a
„ mortali tunc poſſent ... quando comperta
„ eſſet horum probata virtus, & rixa,
„ ejuſque cauſſa, quam alii ſciant, fuiſſet
„ levis; unde judicentur non ex odio gravi,
„ ſed ex levi quadam paſſione, vel in ſigni-
„ ficationem accepti gravaminis, & inju-
„ riae moveri ad omittendam ſalutatio-
„ nem.

Ad id quod addis: „ Clamamus ne in-
„ juria truncatas referri Jeſuitarum ſenten-
„ tias „? Nihil eſt, cur amplius reſpondeam; jam enim facile intelligis; &, cum ad exitum ventum erit, planius intelliges, quam ſint injuſti veſtri clamores.

CCXXII. Venio ad caput octavum, in quo eſt quaerela de *indicibus*, eorumque auctore, qui Tom. 1. V. *Tamburinus* ita ſcripſit: *aliae ejuſdem* (propoſitiones) *laxae pag.* 417; *aliae itidem laxae* pag. 463.

His verbis adſcribis: „ Qui legunt re-
„ lata

„ lata Conciniani indicis verba, ſine dubio
„ ſibi perſuadebunt, Tamburinum docuiſſe
„ non duas propoſitiones laxas, ſed duas
„ catervas propoſitionum laxarum, qua-
„ rum altera recenſeatur a P. Concina pag.
„ 417. altera vero pag. 463. Atqui ſciant
„ lectores, ut ipſi videre poſſunt, unam,
„ eamdemque, atque ipſiſſimam eſſe Tam-
„ burini doctrinam, quam P. Concina re-
„ tulit primo loco, & repetiit ſecundo; in
„ eo ſitam, quod putarit probabilem fal-
„ ſam quamdam opinionem Caſtropalai.

Falſam, inquam ego, & damnatam ab Innocentio XI. Ait enim Caſtropalus T. I. tract. VI. diſput. IV. punct. I. num. 11: „ Nihilominus credo, ſi cum debita mode-
„ ratione facias, te poſſe abſque peccato
„ mortali de vita alicujus triſtari, & de illius
„ morte naturali gaudere, illamque inefficaci
„ ci affectu petere, & deſiderare; non quidem
„ ex diſplicentia perſonae, ſed ob aliquod
„ temporale emolumentum inde ſecutum„.
Haec autem ipſa eſt propoſitio 12. ex iis, quas proſcripſit Innocentius XI., quam pergit Caſtropalaus plurimis exemplis explicare, puta matris, quae cupit interire filiam, quam ob paupertatem alere, vel ob deformitatem nuptui tradere non poteſt; vel ejus,

qui inimici, ne ſibi noceat, mortem deſiderat, aliis ejuſmodi, quae cum totidem ſint admodum laxae, proſcriptaeque propoſitiones, quas omnes exſcribit, & approbat Tamburinus, mirum non eſt, ſi viſus eſt indicum auctori non unam laxam, ſed *catervam* tueri laxarum propoſitionum. Lubet autem eas in medium afferre, ut lectores intelligant, uter magis peccarit, tu ne, qui minuere, atque extenuare; an auctor *indicum*, qui in majus auctam proponere conatus eſt *laxitatem* Tamburini. Hic enim lib. 5. in Decal. cap. 1. § ,3. num. 29. ejuſmodi quaeſtiones proponit. „An filius poſſit mortem Patris optare, vel de illa gaudere, non ut malum patris (hoc enim eſſet odium execrandum) ſed ut ipſe filius paterna haereditate fruatur? An mater poſſit deſiderare mortem filiae, ne illam alere, & dotare cogatur? An poſſit ſubditus mortem cupere ſui Praelati, ut praelaturae ipſe ſuccedat, vel ut ab eo Praelato ſibi infenſo liberetur? Et ſimilia, Si ſolum deſideres, vel cum gaudio excipias ejuſmodi effectus, haereditatem, moleſtiae catentiam, praelaturam &c. facilis eſt reſponſio: licite enim haec optas, vel amplecteris, quia
„ non

„ non gaudes de alterius malo, ſed de pro-
„ prio bono. Num. 30. Rurſus ſi deſideres
„ ſub conditione facilis item eſt reſponſio
„ licite poſſe. Si quis hunc actum eliceret:
„ *Si meus Pater moreretur ego haereditate*
„ *potirer: ſi filia mea occumberet ego mole-*
„ *ſtia liberarer*: & gauderet tunc ille non
„ de Patris vel filiae morte; ſed de haeré-
„ ditate, deque carentia moleſtiae, culpam
„ odii non committeret.

„ Num. 31. Denique ſi abſoluto deſi-
„ derio cuperes in hunc modum. cupio
„ mortem patris non ut malum patris eſt,
„ ſed ut bonum meum, ſeu ut cauſſa boni
„ mei, nimirum quia ex illius morte ego
„ ejus haereditatem adibo. Vel ſic: Uti-
„ nam moreretur mea filia; nam ſic ſexcen-
„ tas ſollicitudines excutiam &c. ſi, inquam,
„ ſic deſideres, major eſt reſolvendi diffi-
„ cultas, quia tunc eligis velle malum il-
„ lis, quamvis ut cauſsam tui commodi,
„ quod non videtur culpa vacare & ita qui-
„ dem putat Bonaccina ... Nihilominus
„ Caſtropalaus docet contrariam opinio-
„ nem ſatis *probabilem*.

An non cumulum laxarum opinionum continet hic locus, quem Concina deſcribit pag. 417, & 463. ſic, ut indicum auctori ſcri-

bere liceret: *aliae ejuſdem laxae (propoſitiones)*?

At eaedem, inquis, bis indicantur. Quaſi vero non frequenter eveniat, ut in *inditibus* eadem res multoties repetatur; vel hae Tamburini propoſitiones dignae non ſint, quae, non dico ſemel & iterum, ſed millies repetantur, ut ex iis facilius agnoſcant lectores cavendum caſuiſtam; vel ſi denique eaedem in *indicibus* Concinianis bis fruſtra indicatae fuiſsent, non haberet eorum auctor quod reſponderet, neminem ſibi potuiſſe onus imponere, ut quas Tamburini propoſitiones legeret pag. 463. eaſdem eſſe reminiſceretur, quas legiſſet pag. 417., praeſertim, quod ſex, & quadraginta paginae, quae intercedunt, plerumque non uno eodemque tempore, immo ne uno quidem die interdum legantur. Hoc, quod nunc primum dixi, toties me dixiſſe putato, quoties iſto genere uſus es accuſationis; plerumque enim ob eam cauſsam accidiſse video, ut una eademque ejuſdem auctoris propoſitio bis in *indice* indicaretur, quod valde diſtarent inter ſe loca, in quibus de ea ageretur. Et jam prope miſeret me veſtri, propterea quod inopia rurum ad labefactandam Chriſtianae Theologiae auctoritatem idonearum coacti ſitis

ad

ad tam inſulſum, & miſerabile defenſionis genus deſcendere, ut aliquot in *indicibus* repetitas propoſitiones quereremini, & ne hoc quidem genere conqueſtionis quidquam proficiatis.

CCXXIII. Venio igitur ad capita libelli tui XXVII. & XXVIII, in quibus de eadem re diſputas, & qua ratione auctorem *indicum* unam, eamdemque Tamburini ſententiam bis indicaſse dicis, eadem tu, quod unum eſt, unoque capite expediri poterat, in duas partes & in duo capita diſtribuis, quorum haec eſt inſcriptio: *Vindicatur a falſa criminatione P. Tamburinus*. Sed videamus quidnam ſit in controverſia poſitum. Tamburinus lib. 3. in decalog. cap. 1. § 3. num. 3., ubi agit de juramento haec ſcribit: „ Per quaecumque verba, etiam perſpicue Deum continentia, multo magis „ dubie, emittatur juramentum, erit omnino, & ſemper in foro conſcientiae ad „ intentionem jurantis attendendum, ſi „ velimus deprehendere, an vere juramentum ſit. Vel enim quaecumque tandem „ verba proferantur, intendit quis primo „ poſitive invocare Deum, vel ſecundo poſitive non invocare, vel tertio (ſive quia „ non advertit, ſive quia neſcit) prae-

 „ ſcin-

„ ſcindit ab ejuſmodi invocatione, hoc eſt,
„ nec intendit, nec non intendit invocare.
„ Partitio videtur adaequata, continet
„ enim contradictoria, & praeciſionem ab
„ ipſis. Jam ſi primum, certo erit juramen-
„ tum, ut ex ſe patet: Si ſecundum, certo
„ juramentum non erit, ut fatentur commu-
„ niter Doctores ... licet enim ego dicam:
„ *juro per Deum*, ſi nolim per haec verba,
„ Deum ut teſtem mei dicti implorare, uti-
„ que non implorabo, niſi valde materia-
„ liter, ſicuti ſi pſittacus a Magiſtro edo-
„ ctus eadem verba proferrret; certe in
„ Sicilia ignobiles viri unoquoque verbo
„ (*par Dio*) jurant. Quis autem dicat, eos
„ ignobiles vere jurare, cum nec ipſi ali-
„ quando ſciant, quid ſignificet illud (*par*
„ *Dio*). Videtur autem ex ſua notione ſigni-
„ ficare *per Deum*. Denique ſi tertium,
„ certo item juramentum non erit, quia
„ non invocat Deum. Cum enim hic ab-
„ ſtrahat ab invocatione, clare apparet in-
„ vocationem non exhibere.

Hactenus hic explicator Decalogi, qui ſanctum, & adorandum Dei nomen eandem interdum in ore homine, ac in ore Pſittaci, ſignificationem habere poſſe contendit. Quare Concina contra Tamburinum ita diſ-

ſerit

ſcrit Tom. 3. pag. 390. „ Duo hic docet
„ Tamburinus: quorum unum certiſſime
„ falſum eſt, nempe quod jurans ſine ani-
„ mo jurandi, non juret: quae propoſitio
„ ab Eccleſia damnata eſt, ut infra videbi-
„ mus: alterum, quod jurans, ſi non advertat
„ ſe jurare, ſeu ſi praeſcindit ab invocatio-
„ ne Divini teſtimonii, non juret; quae pa-
„ riter propoſitio falſa omnino mihi eſt, &
„ ſcandali plena. Sed quod magnopere ani-
„ madvertere debemus, eſt, Tamburinum
„ teſtari, has ſuas propoſitiones commu-
„ niter a Doctoribus edoceri. Laudat nam-
„ que Layman, qui ſane lib. 4. Tract. 3.
„ cap. 1. num. 3. eas docet. Citat deinde
„ pro ſe etiam Suarez lib. 1. de juramento
„ cap. 1. num. 4. ſed falſo. Nihil enim ibi
„ habet inſignis iſte Theologus, quod his
„ opinionibus faveat.

His tu deſcriptis Concinae verbis, ita in ipſum inveheris, ut primum impoſtorem, deinde eorum, quae ante ſcripſerit, immemorem, denique communi Theologorum ſententiae, atque adeo ſibi ipſi eſse dictites repugnantem. Itaque princeps querela eſt, quod damnatam eſse dixerit ſententiam Tamburini, quae eſt: non jurare eum, qui jurat ſine animo jurandi. Quae
de

de re ſi verum diceres, ſententiaque Tamburini reipſa damnata non eſset, hoc ſummum evinceres, hallucinatum eſse Concinam, & quod damnatum non eſt, id dixiſse eſse damnatum; at ipſum impoſturae eſse condemnandum, quaſi tribuerit Tamburino, quod ille non propugnavit, non ſane evinceres, cum certe docuerit Tamburinus id, quod Concina reprehendit, non jurare eum, qui ita jurat, ut non habeat animum jurandi.

Altera quaerela eſt, quod Concina nulla ratione evicerit, ſententiam Tamburini eſse proſcriptam; ſed, cum id ſe demonſtraturum promiſerit his verbis: *ut infra videbimus*; nihil amplius infra de ea ſcripſerit, aut ullo modo oſtenderit Eccleſiae decretis adverſari, quod ſcripſit Tamburinus. Haec quoque criminatio ridicula eſt. Quid enim contra Tamburinum, contraque vos ipſos peccavit Concinam, ſi non probavit id, quod ſe probaturum promiſerat? An magni veſtra intereſt, nihil in Chriſtiana Theologia occurrere, quod non ſit accurate demonſtratum? Quid, Si Concina ingreſsus dicere paullo poſt *de juramento doloſo*, nimirum de illis mentis *reſtrictionibus*, & mentiendi artificiis, quae novi caſuiſtae ex-

excogitarunt, oblitus eſset demonſtrare id, quod ſe demonſtraturum promiſerat, an tam grave peccatum commiſiſſet, ut arguendus eſset impoſturae? At paullo poſt intelliges, Concinam nihil eſse oblitum, & quod ſe facturum promiſerat, id quidem opportuno loco egregie praeſtiſse. Nunc reliquas reprehenſiones tuas videamus.

Nam tertio loco dicis, fieri non poſse, ut damnatam eſse concedas doctrinam, quam communem eſse conſtat omnium Theologorum, ne Concina quidem diſsentiente, qui ſcribit pag. 439. num. xvii. *Verum non adeſse juramentum, ex defectu intentionis neceſsariae ad juramentum*. Denique Suareſium eamdem tueri Tamburini ſententiam, atque adeo egregie falſum éſſe Concinam, qui eum Tamburino negavit eſse conſentientem. Sed nihil horum eſse tibi praeſidio poteſt. Quin immo nihil ſane habuiſses, quod Concinae opponeres, niſi multa turbaſses, quaeque magnopere differunt inter ſe, ea quaſi nihil differrent, in medium protuliſses. Ego ut diſtincte agam, ab eo, quod poſtremo loco poſitum eſt, initium ducam.

CCXXIV. Itaque dico, ſententiam omnium

Theo-

Theologorum eſse: pendere juramentum ab intentione jurandi, *quia*, ut ait loco abs te deſcripto Suareſius: *Juramentum debet eſſe actus humanus, non ſolum quatenus eſt materialis quaedam locutio, ſed etiam quatenus juramentum eſt*. Atque hoc eo valet, ut ſi quis inconſiderate, vel animo nimium perturbato juret, is non juraſse putetur, cum ejuſmodi actio ſit juramentum, ut ab animo deliberato proficiſci debeat, neceſseque ſit, ut idem ait Suareſius num. *6.*, ut ejus, qui jurat, *voluntas ſit libera, & cum pleno judicio rationis ſaltem quod ad peccandum mortaliter ſufficiat*.

Ab hac ſententia, quam eſſe communem omnium Theologorum libenter concedo, plurimum differt altera, quae docet: non jurare eum, qui deliberate jurat ſine animo jurandi. Quod ipſum quidem ratio Suareſii demonſtrat, quae licet recte probet priorem ſententiam;nihil tamen valet ad poſteriorem confirmandam,quamvis ipſe unam cum altera confundat, eademque ratione utramque probare conetur. Id ego puto fieri non poſse. Aliud eſt enim juramentum pendere ab ea *intentione*, quae ſi deſit, actio humana,atque adeo juramentum ipſum, quae, actio humana eſse debet, intelligi non po-

teſt;

teſt; aliud pendere ab ea, quam quis aſtute non habet, eo quod voluntatem proferendi verba apta ad jurandum ſtudioſe ſeparet a voluntate jurandi. Ut clarius dicam, ex eo, quod neceſse ſit juramentum eſse actionem deliberatam, recte ſequitur ipſum ab ea intentione pendere, ex qua pendet, ut actio quaeque ſit deliberata; at pendere ab ea, quae deeſse non poteſt, niſi actio ſit deliberata, certe non ſequitur. Hoc enim modo actio humana ſtudioſe perverſa redditur, cum *regulare*, *& naturale* ſit, inquit Cajetanus 2. 2. quaeſt. 89. art. 7. *ut jurantes habeant animum jurandi*.

In hac controverſia, ut verum fatear, video Concinam varium eſse, & quaedam ſcribere, quae non cohaerent inter ſe. Pag. enim 439. diſerte docet jurare eum, qui jurat ſine animo jurandi; pag. autem 437. loquens de eo, *qui falſum jurat ſine animo jurandi*, hunc graviter quidem peccare docet, perjurium eſse non docet, quod tamen neceſsario ſequitur ex eo, quod reipſa juret, etiamſi non habeat animum jurandi.

Quid igitur, inquies? Negaſne non jurare eum, qui ſine animo jurandi jurat? Ego vero neque nego, neque affirmo, ſed aſsentionem cohibeo. Nam nulla ratio

ratio mihi occurrit, cur omnino negandum putem; at ne ulla quidem occurrit, cur facile concedam. Concedit quidem Suareſius, at ratio, cur concedit, mihi, ut dixi, non probatur. Concedit etiam Cajetanus, ſed quamobrem concedat nulla ratione demonſtrat.

CCXXV. Itaque duo tantum dicere poſsum, quorum primum eſt, recte docere Cajetanum, cum ait loc. cit. graviter peccare eum, qui ſic juret ſine animo jurandi, ſive verum juret, ſive falſum, neque rationem eſse, cur probetur exceptio quorumdam, puta Suareſii Cardenae, Caſtropalai, Leſſii, Vivae, La-Croixii, diſcipulorum, ut tu quidem dictitas, Cajetani; qui, ſi loquamur de eo, qui iſto modo verum juret, neque juret in re gravi, in judicio, in contractu ineundo &c. nimium rigidam cenſent eſse Cajetani doctrinam: rationem, inquam, non eſse, cur probetur haec exceptio, quia tametſi levis ſit ipſa res, leve tamen non eſt divinum teſtimonium, quo abutitur is, qui Deum dicti ſui dedita opera teſtem inaniter appellat.

Alterum eſt, plurimum differre inter Suareſium, & Tamburinum. Nam aliud eſt, nullum eſse juramentum ſi quis forte apta ad jurandum verba ſine animo jurandi proferat, ut docet Suareſius: aliud perinde

de ſitum eſse in voluntate hominis ita jurare, ac in ea ſitum eſt loqui, bibere, comedere, uti docet Tamburinus, qui homini facultatem impertitur proferendi, quotieſcumque libuerit, verba *materialiter*; atque adeo non jurandi, ſi jurare nolit, cum ea profert, quae ſunt apta ad jurandum; licet enim, inquit loco cit. ego dicam: „ Juro
„ per Deum, ſi nolim per haec verba, Deum
„ ut teſtem mei dicti implorare, utique
„ non implorabo, niſi valde materialiter,
„ ſicuti ſi pſyttacus a Magiſtro edoctus ea-
„ dem proferret.

Tantum autem abeſt, ut ei abſurda videatur haec ratio jurandi, quam Cajetanus loc. cit. in perſonam ſani capitis cadere non poſſe dicit, ut contra defendat, rem eſſe indifferentem, illudatque Pallavicinum, qui iſta ratione verba proferendi *materialiter*, pactum Reipublicae, ut eadem *ſignificative proferantur*, violari contendit; hoc inquam, illudit Tamburinus lib. 11. cap. II. §.2. num.6. in quo ſic eſt: „ Reſpondeo ejuſ-
„ modi pactum nimis ſpeculative ab inge-
„ nioſiſſimo excogitatum eſſe. Addo, eſto
„ affuiſse conventionem, ut per illas voces
„ poſſent aperire homines conceptus ſuos;
„ at contendo nunquam affuiſse pactum,
„ quo-

„ quominus iidem poſsent, quando vellent, „ illas materialiter efferre. Certe ſic effe- „ runt infantes, ſic adulti quando inci- „ piunt diſcere linguas exteras, ſic ſcrip- „ tores, & typographi, quando exſcri- „ bunt, vel imprimunt verba alterius lin- „ guae. Cur ego non in aliis occaſionibus, „ quando homini libuerit.

Non magis igitur opinione Tamburini ſitum eſt, ut dixi, in voluntate hominis loqui, bibere, comedere, ambulare, quam verba proferre *materialiter*, atque ita cum jurat nullum jurare juſjurandum. Atque hoc eſt, quod non docet Suareſius, cujus auctoritate Tamburinum maxime tueri conaris. Nam is num. 9., ubi argumentum ſolvit, quod inutile eſſet juramentum, ſi non juraret is, qui jurat ſine animo jurandi: „ Sicut ergo, inquit, poteſt ho- „ mo mentiri etiamſi juret, ita poteſt do- „ loſe, & ficte jurare, etiamſi aliud exterius „ profiteatur. Neque propterea inutile eſt „ juramentum; nam ſatis eſt, quod tenea- „ tur homo, qui jurat, abſque dolo, & „ fraude jurare, ut moraliter credatur, ex „ animo jurare, quando juramentum ex- „ hibet. Sicut etiam poteſt homo falſum „ dicere, quamvis ex animo juret; & ni-

„ hilo

„ hilo minus non eſt inutile juramentum,
„ quia ſatis eſt, quod homo teneatur pe-
„ culiari obligatione dicere verum, quan-
„ do Deum in teſtem adducit.

Ex quibus plane intelligere potes quid differat inter Suareſium, & Tamburinum. Nam concedit ille quidem, non jurare eum, qui juret ſine animo jurandi; at nihil obſtare, ne pactum quidem Reipublicae, ut vult Tamburinus, quominus homo, quotieſcumque ei libuerit, ita juret, nuſquam ab Suareſio ſcriptum reperies.

CCXXVI. Hoc eſt igitur, quod Concina deteſtatur, damnatumque eſſe dicit diſsert. 3. cap. x. & xi. ubi probandum ſibi ſumpſit, opinionem Tamburini, ſive licentiam illam, quam is cuique liberaliter concedit verba *materialiter* proferendi, deteriorem eſſe ea, quam proſcripſit Innocentius XI, *reſtrictionum* doctrina.

Et ſane mirum eſt, te ita ſcribere pag. 54. „ Quod ait Pater Concina: *ut infra*
„ *videbimus*, infra, & uſquam nihil affert
„ in quo ea damnatio videri poſſit „: Mirum eſt, inquam, te ita ſcribere, neque legiſse caput illius diſputationis undecimum, cujus haec eſt inſcriptio: *Refellitur reſponſio Tamburini, cujus aſſertio laxior*

 omni-

omnino videtur ipſa propoſitione damnata de reſtrictionibus mentis. Hic Concina egregie praeſtitit, quod pag. 390. ſe ſe praeſtiturum promiſerat; & luculenter evicit quod docuit Tamburinus, poſse hominem, quotieſcumque libuerit verba proferre *materialiter*, atque ita non jurare, cum ea profert, quae ſunt inſtituta ad jurandum, deterius eſse *reſtrictionum* errore. Et ſane nihil aliud Theologus ſibi velle putandus eſt, cum damnatam eſse dicit alicujus Caſuiſtae ſententiam, niſi vel ipſam eſſe propoſitionem, quae proſcripta eſt; vel huic eidem affinem; vel ea deteriorem; quorum unum ſi evincere conetur, nulla eſt ratio, cur, etiamſi fallatur, arguendus putetur impoſturae. At Concina non fallitur. Nam quod dicit Tamburini doctrinam *reſtrictionum* errore eſse deteriorem, tam manifeſtum eſt, quam quod maxime. Poſtquam enim docuit, licere juranti uti *aequivocatione*, quae eſt proſcripta Sancheſii theſis: *Si quis vel ſolus vel coram aliis &c.* tum quaerit: „ Quando verba nullo modo ex ſe patiuntur talem aequivocationem, ſeu mentis reſtrictionem, licetne aliud intelligere ſolum ex mera mea voluntate? *Juro v.g. me non dormiviſse, intelligendo, me non comediſse* quo pacto
„ ma-

„ *materialiter* ſolum dico, me non dormi-
„ viſſe, non *ſignificative* „. Reſpondetque
huic quaeſtioni hunc in modum „ Sanc. ib,
„ num, 15. in fine negat licere, quia non eſt
„ in cujuſvis arbitrio ſignificationem voci-
„ bus imponere: verum haec ratio me non
„ poteſt avellere a probabilitate, quod li-
„ ceat &c.„ Intellextin? Quo non eſt auſus progredi Sancheſius, eo audacter progreditur Tamburinus, ampliatque, quam ille impertiverat, ficte jurundi licentiam. Quid eſt igitur quod Tamburini doctrinam eſſe neges proſcripta theſi deteriorem? An cum damnatum ſit, ficte jurare licere, cum verba *aequivocationem* patiuntur, damnatum non eſſe defendes, eodem modo jurare licere, cum nullus eſt *aequivocationi* locus?

Neque vero dicas, illud Concinam proſcriptum eſse dixiſse, quod ſupra probatum eſse vidimus Suareſio, & Cajetano, & conſtat, non eſse damnatum: nullum ejus eſse juramentum, qui jurat ſine animo jurandi: ait enim hoc modo: „ Duo hic docet
„ Tamburinus, quorum unum certiſſime
„ falſum eſt, nempe, quod jurans ſine ani-
„ mo jurandi, non juret, quae propoſitio
„ damnata eſt, ut infra videbimus „.

Sed nihil proficis. Id ipſum enim, ut

explicatur , & defenditur ab Tamburino damnatum eſt , idque eſt , quod hic Concina paullo poſt ſe damnatum eſse dementurum promittit . Neque vero neceſse erat, ut hoc loc. totum explicaret , quidque in doctrina Tamburini damnatum eſſe diceret , diſertius exponeret .

Nihil dico de tertio illo jurandi modo, quem affert in extremo teſtimonio Tamburinus,& tu explicas pag.58.his verbis:,, Qui
,, jurat, & caret tum poſitiva intentione in-
,, vocandi Deum in teſtem , id eſt jurandi ,
,, tum poſitiva , intentione non invocandi ;
,, non jurat : ,, Nihil inquam , dico de hoc tertio jurandi modo . Hoc enim ſi ſtudioſe fiat,neque eveniat ex eo, quod is, qui jurat, ad id, quod loquitur, propter animi perturbationem , vel aliam ob cauſſam , animum non advertat , perinde improbari debet , atque id , de quo hactenus diſſeruimus , improbandum eſſe diximus .

CCXXVII. Reſtat nunc, ut de inſigni fraude caſuiſtarum , quam Concinam & Tamburinum legens animadverti , breviter dicam , & ſimul illud oſtendam , non injuria irriſam ab me fuiſſe epiſt.I. num.xv. cum agerem de eodem Tamburino , rationem , qua libros emendare , erroreſque tegere conſueve-

runt

runt ſuorum Theologorum. Nam mihi videntur tam facile mentiri conſueſſe, cum id e re ſua eſſe intelligerent, quam aſſerere opinionem quampiam eſſe probabilem. Sed prius Concinae locum, ex quo omnia intelligi poſſunt, quae dicenda ſunt, accurate deſcribam. Tu fac attentum te prebeas. Itaque loc. cit. pag. 436. ſcribit hoc modo: „ An licitum ſit jurare ſine animo
„ jurandi? Reſp. Thomas Tamburinus
„ lib. 3, cap. 3. §. 2. num. 1. haec ſcri-
„ bit. *Certum eſt jurare ſine animo jurandi,*
„ *ſive res ſit levis, ſive gravis, vel jurare*
„ *verbis aequivocis, non eſse licitum ſine*
„ *cauſsa, licitum eſse cum cauſsa juxta ea,*
„ *quæ diximus cap.* 2. §. 2. Haec Tamburi-
„ ni aſſertio damnata eſt ab Innocentio XI.
„ in propoſitione 25. quae eſt hujuſmodi:
„ *Cum cauſſa licitum eſt jurare ſine animo*
„ *jurandi, ſive res ſit levis, ſive gravis.*
„ P. Viva in expoſitione iſtius propoſitionis
„ num. 1. contendit, non eſſe exploratum
„ ſenſum, in quo Tamburinus ſuam docue-
„ rit propoſitionem, quia, inquit, deſidera-
„ tur locus, ad quem Tamburinus lectorem
„ remittit. Verum ad hoc quod attinet lo-
„ cus habetur in eodem folio: ſiquidem
„ Tamburinus ait, licitum eſſe jurare ſine

 „ ani-

„ animo jurandi, vel jurare verbis aequi-
„ vocis cum cauſſa, juxta ea, quae dixit
„ cap. 2. §. 2. Quid autem dicit hoc lo-
„ co? En illius verba: *Quaeſtio eſt, an li-*
„ *ceat juranti accipere verba in alio ſenſu*
„ *ab illo, quem ea praeſeferunt. Juro* v. g.
„ *per Deum, me hac nocte non dormiviſſe in-*
„ *telligendo veſtitum.... Reſpondetur li-*
„ *cere.*

„ *At eſt ne ſaltem veniale, ſic per*
„ *aequivocationem jurare? Reſpond. ſi ali-*
„ *qua ſubſit cauſſa... nullum eſt peccatum.*
„ *Si nulla ſit cauſſa, veniale erit.*

Intellextin? Negat Viva, reperiri locum, ad quem lectores allegat Tamburinus, cum ſcribit cap. 3. §. 2. num. 1.: *juxta ea quae diximus cap.* 2. §. 2. *&* 3. *&c.* Negat idem auctor opuſculi; quod inſcribitur: *Germana doctrina R. Patris Thomae Tamburini &c.* cap. 21. num. 25. ubi: „ Nota,
„ inquit, verba haec (juxta ea, quae di-
„ ximus cap. 2. §. 2. & 3.) per errorem
„ ſive ſcriptoris, ſive typograhi, ſive alte-
„ rius huc irrepſiſſe: hos enim §. 2. & 3.
„ dicti capitis 2. hujus libri 3., in quo ſe-
„ cundo capite agit auctor de juramento
„ aſſertorio, hos inquam, §. nunquam in-
„ venies. Verum hoc obiter pro ſtudioſis

„ mo-

„ moneo, ne ſcilicet quaerendo praedicta „ loca fruſtra laborent „. Quid eſt, ſi haec impudens mentiendi licentia non eſt? An non in omnibus operum Tamburini editionibus, quae poſt ann. 1680. Venetiis curatae ſunt, caput alterum libri tertii in tres §§. diſtributum cernitur? An non leguntur in ſecundo §. quae ſupra ab Concina deſcripta ſunt, & alia pleraque *de juramento aſſertorio aequivoco*, quae eſt inſcriptio illius ſecundi §. multo deteriora decreta? Vidi ego, atque adeo legi editiones anni 1683. 1607. & 1753, in quibus haec omnia reperiuntur, neque dubito, quin eadem etiam in ceteris, quae ibidem curatae ſunt, omnino reperiantur. Quid igitur blaterant hi duo caſuiſtae, nuſquam reperiri locum, ad quem lectores allegat Tamburinus?

At non reperitur, inquies, idem locus in aliis editionibus, quae venetam an. 1680. anteceſſerunt. Fateor id quidem; nam duobus Venetis an. 1654. & 1667., & duobus Lugdunenſibus an. 1669. & 1679, (plures non vidi) §§. illos duos deeſſe animadverti. Tamen credibile ne eſt, adeo incognitas fuiſse Vivae tot poſteriores Venetas eorumdem operum editiones, ut cum eos §§. omnino reperiri negarit, id

non aſtute feciſſe videatur? Facile ne eſt, ut quiſquam ſibi perſuadeat, latuiſſe diſcipulum illum & vindicem Tamburini, a quo idem inſigni confidentia negari vidimus, pertinerent nec ne ad Tamburinum §§. illi duo, quos ille cap. 3. num. 1. ut in omnibus editionibus perſpicere licet, tam aperte indicaret, ut quin in aliqua reperirentur, vel ſaltem ab eo omnino ſcripti eſſent, nemini, qui locum ejus conſideraret, dubitandum videretur? Et vero qua tandem ratione ſcripſiſset Tamburinus cap. 3. num. 2.: *certum eſt ſecundo jurare ſine animo jurandi, ſive res ſit levis, ſive gravis; vel jurare verbis aequivocis, non eſse licitum ſine cauſſa; licitum eſse cum cauſsa, juxta ea, quae diximus cap.* 2. §. 2. *&* 3. qua tandem, inquam, ratione, haec duo certa eſſe ſcripſiſſet Tamburinus, niſi de his ipſis antea egiſſet, & primum quidem in 3. §. qui erat *de juramento aſsertorio ficto*; alterum in altero *de juramento aſsertorio aequivoco* quoquo modo demonſtraſſet?

CCXXVIII. Sed omittamus Vivam, & Tamburini diſcipulum. Tu quid ais? Poteſne cauſſam afferre, cur §§. illi duo in pleriſque editionibus legantur, in aliis non item? Nam ſi eorumdem auctor eſt Tamburi-

burinus, cur tot operum ejus editionibus deſunt? Sin autem ad Tamburinum non pertinent, cur aliis pleriſque non deſunt? Quis nam eos confixit, Venetiſque an. 1683. &c. adjunxit editionibus? Ne longum faciam, ego quidem hos duos §§. non ab aliquo confictos, ſed ab Tamburino ipſo conſcriptos puto. Si quis autem ſcire velit, cur iidem in prioribus operum Tamburini editionibus deſiderentur; in poſterioribus Venetis non item, is hujus rei cauſsam abs te requirat oportet; nam mihi perſpecta non eſt.

CCXXIX. Quatuor mihi perſpecta ſunt magna peccata, quibus is, qui hos duos §§. venetae operum Tumburini editioni an. 1680. vel 1683. primum adjunxit, ſuam & Lucii Sanmarci fraudem patefecit. Horum primum eſt, quod reſtituens hos duos §§. in locum ſuum non animadvertit, ſcriptum eſſe in opuſculo Lucii Sanmarci, quod una operibus Tamburini praepoſuit: *hos*, *inquam*, §. *nunquam invenies &c.* debuerat enim ex eodem opuſculo haec verba deſecare, ne quod Lucius iſte nuſquam inveniri diceret, id lector in eodem volumine pag. 81. (editionis Venetae ex cauſ. an. 1707.) omnino reperiret.

Alterum peccatum eſt, quod loco tertii

tii §, quem primo ſcripſerat Tamburinus, hunc brevem arbitratu ſuo concinnavit: „ De hoc nihil a me hic dicendum rema- „ net. Luculenter enim Lucius Sanmarco „ mentem meam explicat hac de re in vin- „ dicatione, quam in mei favorem edidit „ contra Vincentium Baronium. Illam, ſi lu- „ bet, lege „. His enim paucis verbis con- ſtat tertius §, qui nunc legitur in Venetis editionibus, quem tamen non eſse Tambu- rini, qui non videat, puto eſſe neminem. Atque, ut omittam id, quod ſupra indicavi, in hoc 3. §. *de juramento aſsertorio ficto* om- nino agi debuiſſe, illud etiam eſt manife- ſtum, quod cum hoc caput ſecundum lib. 3. in tres §§. initio diſtribuerit Tamburinus, ut vel ex prima ejus operis editione, quae Ve- netiis an. 1654. curata eſt, perſpici poteſt, ſcribere non potuerit in 3. §., oppugnatum ſe ſe fuiſſe ab Vincentio Baronio, qui opus de *Theologia morali*, in quo doctrinam oppugnat Tamburini, an. primum 1665, ut teſtatur Echardus Tom. 2. pag. 655., evulgavit: niſi forte velis, aut divinaſse Tamburinum, op- pugnatum ſe ſe iri hoc loc. ab Vincentio Ba- ronio, aut ſcripſiſſe Baronium contra Tam- burinum, priuſquam hic *explicationem* De- calogi evulgaret.

Ter-

Tertium peccatum eſt, quod Tamburinum perinde loquentem induxerit, quaſi legerit is (quod quidem facile credo), atque adeo probarit opuſculum Lucii Sanmarci, ſuſceptamque ab eo doctrinae ſuae defenſionem: ex quo ſequitur, conſcium & approbatorem, ne dicam impulſorem fuiſſe Tamburinum illius mendacii diſcipuli & concivis ſui: *hos*, *inquam*, §. *nunquam invenies*.

Qnartum peccatum eſt, niſi forte inſignem inſolentiam appellare velimus, quod rurſus protulerit §§. illos duos ex operibus Tamburini jamdudum recte deſectos, qui etiamſi fuiſſent in prioribus editionibus, a Venetis tamen an. 1680. &c. ob decretum Innocentii XI. proſcriptaſque ab eo Theſes illas duas: *cum cauſsa licitum eſt &c.* Et *Si quis vel ſolus vel cum aliis &c.* quae in his §§. non obſcure continentur, omnino tolli, aut ſaltem prolixa animadverſione confutari debuiſsent. Facies igitur e re tua, & horum caſuiſtarum, ſi ſcribes rurſus Caltaſſinectam, quaeſitum, numquid reperiatur in adverſariis Tamburini, quod ad haec peccata diluenda opportunum videatur. Sed vide, ne, quod vobis ſaepe accidere ſolet, eorumdem cauſsam, cum juvare velis, facias deteriorem.

CCXXX. In

CCXXX. In capite xxix. rurſus quaerela eſt de *Indicibus*, in quibus Tom.3. V. *Tamburinus* ſcriptum eſſe doles: *Tamburinus laxe docet omittere integrum Roſarium voto promiſſum peccare ſolum venialiter*. Eodem modo ſcribitur V. *Votum*: *Non eſset levis materia integrum Roſarium omittere, ut laxe docent La-Croix, Tamburinus, & Sporer*.

„ In quibus verbis, inquis, eſt im-
„ poſtura contra P. La-Croix, qui, ut vi-
„ dimus cap.24. profitetur, ſe non loqui de
„ Roſario integro, cujus nomine commu-
„ niſſime intelliguntur quindecim decades,
„ ſed de tertia parte. Eſt impoſtura contra
„ Tamburinum, ut modo evidenter oſten-
„ ſum eſt. Eſt impoſtura contra P. Sporer
„ Franciſcanum, qui Tract. 1. cap. 5. §.4.
„ num. 30. idem docet, ut quisque vide-
„ re poterit, ac Tamburinus.

Ego vero de La-Croixio jam dixi Epiſtola 3. num. LV., ubi oſtenſum eſt, te ipſo fatente, idipſum falſum eſſe, quod docet de tertia parte *Roſarii* omiſſa ab eo, qui eam ſe recitaturum voviſſet. De reliquis duobus, quos ab auctore *Indicis* impoſtura violatos dicis, Concina loco cit. pag. 84. ſcribit hoc modo „: Laudat La-Croix pro ſe Tambu-

„ ri-

„ rinum lib. 1. Decal. cap. 1. §. 3. num. 21.
„ Sed Tamburinus oppoſitum aperte docet
„ ibi. En illius verba: *Vovisti coronam*
„ *B. Virginis ſex decennariis conſtantem:*
„ *duo decennaria comparatione dictae coro-*
„ *nae cum ſint tertia pars, videntur non mo-*
„ *dica materia: at quia ad finem intentum,*
„ *ideſt ad cultum Virginis id modice nocet,*
„ *ſi cetera quatuor decennaria recitentur,*
„ *veniale erit duo tantum omittere.* La-
„ Croix, praeter Tamburinum, laudat etiam
„ Sporer, diſcipulum Tamburini. Sed Spo-
„ rer de more Tamburini doctrinam tran-
„ ſcribit, ut videre eſt tract. 1. cap. 5. §. 4.
„ num. 30. hinc collige neceſſitatem legen-
„ di auctores in fonte.

Quum haec res tam accurate in Chriſtiana Theologia expoſita eſſet, quid attinuit, de ea te queri, & huic capiti praeponere conſuetam inſcriptionem: *Vindicatur ab impoſtura idem P. Tamburinus?* Dices, te ipſum dixiſse, non Concinae, ſed auctoris indicis eſse impoſturam. Video: ſed cum liber adverſus Concinam ſcriptus fuerit, & longe plures, praeter inſcriptiones capitum, nihil aliud praeterea legant, fit ita, ut magis in Concinam, quam in auctorem indicis recidat invidia.

Quod

Quod ſcribis in extremo capite :,, At
,, eos (indices) Concina non confecit.
,, Id ſolum in praeſentia dico. Hoc probat,
,, Patrem Concinam alios habere foedera-
,, tos, qui adverſus noſtram Societatem eo-
,, dem animo ſunt.,. Quod, inquam hoc modo ſcribis ſane lepidum eſt. Scire ne poſſumus clare & explicate quo tandem animo eſſe conveniat erga iſtam Societatem? quid vos laedat? Ecquid in noſtris ſcriptis vobis diſpliceat? Explicate, Noceti, loquendum eſt, quid ſit id, quod vobis diſplicet; nam quae objicitis, ſingulisque horis lamentamini, ea certo ſcimus, vobis non diſplicere; nam ſi diſplicerent, jamdudum operam dediſsetis, ut eadem in veſtris auctoribus emendarentur. At tantum abeſt, ut ea res vobis curae fuerit, ut in tanta, *curſuum, compendiorum, Trutinarum, Summarumque* farragine, nunquam paginam ſcripſeritis ad haec errata emendanda; & quod magis mirandum eſt ne hoc tempore quidem, quo de his rebus acriter diſceptatur, emendari curetis. Nam adverte animum. Quod eſt in indice Tom. 3. V. Tamburinus. *Tamburinus laxe docet omittere integrum Roſarium voto promiſsum peccare ſolum leviter*, id ipſum ſcribit La-Croixius lib. 3. part. 1.

part. 1. num. 448. *immo Roſarium ipſum cenſetur quid exiguum in ordine ad cultum Beatae Virginis, vel Dei. Tamburinus lib.* 1. *cap.* 1. §. 3. *num.* 21. *Sporer Tom.* 1. *cap.* 1. *num.* 30. §. 4. Jam convenit, La-Croixium loqui de 3. parte Roſarii, & id ipſum eſſe nimium laxum. Sed cum adeo tibi diſpliceat, hujus ſententiae fautorem haberi Tamburinum, ut contra *indicis* auctorem ſcribas initio capitis: *calumnioſiſſime ſcribit, Tamburinum iſta docere*, cur omnino taces de La-Croixio? Cur non doles, neminem antea extitiſſe, qui ejus erratum emendarit? Cur ſaltem non emendavit is, qui ann. 1752. edidit Coloniae: *ſupplementum ad R. P. Claudii La-Croix ſocietatis Jeſu Theologiam moralem*, Tamburinumque, & Sporerium falſo ab La-Croixio hoc loc. laudari ſignificavit? Mirum eſt ſane quod, nullam vobis moleſtiam exhibeat, quod legitur in La-Croixio, idem, ſimul ac legitur in indicibus Concinianis, adeo diſpliceat, ut *calumnioſiſſimum* eſſe conclametis?

CCXXXI. Sed jam, omiſſo capite libelli tui XXXIV, de quo dixi epiſtola I. num. XXII. venio ad XLV. cujus haud ſane diſſimilis ceterorum eſt inſcriptio: *vindicatur ab impoſtura P. Tamburinus*. Sed hujus *impoſturae*, ut cetera-

terarum omnium in te ipſum, Nocceti, neceſſe eſt recidere invidiam; cum nihil aliud reprehendas, niſi Concinae argumentationem, quae quidem ſolida eſt, doctrinamque Tamburini funditus convellit. Itaque refellit Concina Tom. 4. pag. 698. hanc Tamburini ſententiam lib. x. in Decalog. cap. v. §. 1. num. 2. „ Gaudebat quidam ſacerdos, ſe per „ inculpabilem oblivionem matutinum diei „ heſterni non recitaſſe. Et reprehendebatur „ ab alio nimis Religioſo ſacerdote. Huic „ dixi, potuiſſe illum gaudere de carentia „ illius laboris, quae tunc nullo modo pe- „ caminoſa fuit, atque adeo tale gaudii „ objectum erat ab omni malitia ſepara- „ tum, nedum ſeparabile „. Hanc, inquam, Tamburini ſententiam refellit Concina multis argumentis, eo praeſertim, quod *in hoc caſu cum homo certus eſſe nequeat, ſe inculpate violaſſe legem prohibentem tale objectum, nequit licite gaudere de legis traſgreſſione*. Sed veritus, ne cui haud ſatis firmum videretur hoc argumentum, ſi crederet, *gaudium defendi ut licitum in hyppoteſi, quod omiſſio praecepti ſit omnino innocens, ſecus, ſi revocetur in dubium malitia omiſſionis*: Addidit, nihil id quidem obſtare, quominus valere putetur propoſitum argu-

argumentum : „ Quoniam P. Tamburinus „ non defendit licitum eſſe gaudium de ne- „ glecto officio in hyppoteſi , qua Sacerdos „ inculpate omnino omiſiſſet officium ; ſed „ defendit , Sacerdotem reapſe gaudentem „ de neglecto officio , quod quidem ſe in- „ culpate omiſiſſe credit.

Quid tu ad haec? „ Ego neſcio , in- „ quis , in quonam Tamburino P. Concina „ legat Tamburinum . Certiſſime verus „ Tamburinus defendit, quod Pater Conci- „ na negat ipſum defendere : & non defen- „ dit , quod ipſum defendere P. Concina „ affirmat . Defendit enim gaudium de „ omiſſione officii omnino innocente , & „ inculpata , & nihil habet de omiſſione „ officii , quae innocens & inculpata creda- „ tur . En ejus verba lib. 10. in Decal. „ cap. 5. §. num. 2. *Gaudebat quidam Sa- „ cerdos* &c. „

Saepe dixi , & nunc rurſus dicere co- gor , te ludere imperitos , & argutiis efficere conari, ut non videant in oratione Caſuiſtarum , quorum agis patronus cauſſam , quae in eadem perſpicue continentur . Nihil habet Tamburinus *de omiſſione officii, quæ innocens , & inculpata credatur* ? At ea , de qua loquitur , cujuſmodi eſt ? Quis eum cer-

tiorem fecit, aut facere potuit, oblivionem illius Sacerdotis reipſa culpa caruiſſe? Cur Sacerdos ipſe dubitare non poterat, num qua ſua negligentia factum eſſet, ut muneris ſui obliviſceretur? An Angelus utrumque monuerat, ne quid dubitarent; eam oblivionem omnino culpa caruiſſe?

At Tamburinus, inquis, eam *oblivionem inculpabilem* appellat, aitque, gaudere potuiſſe illum Sacerdotem de *carentia illius laboris, quae tunc nullo modo peccaminoſa fuit*. Quis negat haec? Quis Tamburinum, iſto modo loqui inficiatur? Noli rem implicare. Non ait Concina, Tamburinum loqui de ea oblivione, de qua dubitaret, utrum culpa caruiſſet; hoc enim fuiſſet omnium deterrimum: ſed de ea, quam licet *inculpabilem* appellaret, utrum tamen fuiſſet hujuſmodi, dubitare deberet. Illud enim certum eſt, & Concina perſpicue oſtendit, ipſum certo ſcire non potuiſſe, utrum illius Sacerdotis oblivio culpa caruiſſet.

CCXXXII. Itaque expende diligenter, primum quo fundamento nitatur Concinae argumentatio: „ Ut clarius perſpicias, inquit, „ laxitatem iſtius doctrinae advertas iterum „ velim, aliud eſſe delectari de aliquo obje„ cto futuro praeciſo ab omnibus circumſtan-

„ ſtantiis, & ab intellectu propoſito ſecun-
„ dum ſuam honeſtatem naturalem, ſejun-
„ ctam ab omni lege prohibente: *aliud au-*
„ *tem gaudere de objecto praeterito ad execu-*
„ *tionem redacto*. In hoc caſu cum homo
„ certus eſſe nequeat, ſe inculpate violaſſe
„ legem prohibentem tale objectum, nequit
„ licite gaudere de legis traſgreſſione „.
Expende, inquam, diligenter hoc fundamentum, rerumque diſtinctionem, qua Concinae nititur argumentatio, & facile intelliges, omnem ejuſmodi oblivionem, officiorumque intermiſſionem, ita *invicibilem*, vel *inculpabilem* apellari, ut tamen ſemper verendum ſit, numquid culpa noſtra contractum fuerit; & is, qui non veretur, riſu potius, quam oratione reiiciendus videatur.

Deinde expendas oportet id, quod Concina extremo loco ſibi opponit, ut omni ex parte argumentationem ſuam recte concluſam eſſe pervincat: „ Dictamen practicum, inquis, Sacerdos concipit, ſe invicibiliter oblitum fuiſſe „. Habes ne, Noceti, vel habuiſſe dicis, illum Sacerdotem, & Tamburinum, praeter hoc *dictamen practicum*, aliquid amplius, quamobrem oblivionem illam *inculpabilem* appellarent? Nam ſi quid aliud ha-

bes, cupio ſcire quid ſit. Sin autem non habes, cur cavillaris? Cur negas, locutum eſſe Tamburinum non de ea oblivione, quae culpa omnino caruerit, ſed de ea, quam culpa caruiſſe crederet. Nam illud *dictamen practicum* obſtare non potuiſſe, quominus vereretur, num ea oblivio culpa omnino caruiſſet, tam manifeſtum eſt, quam quod maxime, vereque reſpondet Concina: „ At illud di-
„ ctamen practicum erigere animum dum-
„ taxat valet, ut ſperet, ſe culpam non per-
„ petraſſe; ſecus, ut gaudeat, ſe debitum,
„ ſuum neglexiſſe „. Quid ita? „ Quia,
ut ait paullo ſupra „ Sacerdos ſecurus eſ-
„ ſe nequit abſque omni ſua negligentia
„ oblivionem eveniſſe „.

Denique Concina ita concludit:
„ paucis, gaudium iſtud malum eſt duplici
„ titulo. Malum, quia de re materialiter
„ ſaltem mala, quae nequit eſſe honeſti
„ gaudii objectum. Malum etiam ob peri-
„ culum, quod illa omiſſio fuerit aliquo
„ modo vitioſa, & imputabilis ob aliquam
„ occultam negligentiam „. Nunc ſic habeto, Noceti: ſi vincere potes, horum alterum locum non habere in hac controverſia, & inane prorſus eſſe illud periculum, de quo Concina loquitur; illud etiam vinces,

Con-

Concinam non quidem impoſturae reum,ſed male adverſus Tamburinum eſſe ratiocinatum. Sin autem hoc vincere non potes,illud me viciſſe putato,te falſum eſſe accuſatorem, eo magis, quod hoc tuum magnum erratum manifeſtiſſimam appelles Concinae *impoſturam.*

CCXXXIII. Pergamus igitur ad caput xxiii. ubi doles, fuiſſe ab Concina Tom.7.pag.55. in numerum *laxarum* opinionum relatam Tamburini doctrinam ex lib. 3. Method. Confeſ. cap. 4. num. 5. „ Si praevideat „ Confeſſor, poenitenrem non reſtitutu„ rum, ſi illi detegatur nullitas tituli, quam „ pro ſe adeſſe poenitens putat, non erit „ ex Sanchez talis nullitas illi a confeſſario „ (non interrogato) patefacienda; quam„ vis ſit in praejudicium tertii, qui ſuo ca„ rebit „ doles, inquam, ita relatam eſſe in numerum earum, quae nimium *laxae* ſunt, hanc propoſitionem, ut omiſſa fuerint verba illa parentheſi concluſa: *non interrogato*:quae quidem voces,inquis,„ a Patre Con„ cina neſcio cur reſectae, non levis mo„ menti ſunt „. Ego vero bilem vix, ac ne vix quidem interdum continere poſſum. Contineamus tamen, feramuſque moderate genus iſtud accuſatorum, qui cum ſe calumniis,

impoſturiſque violari clamitent,committunt tamen quarto quoque verbo, ut eorundem criminum non accuſentur modo, ſed etiam aperte convincantur. Itaque fateor, omiſſas fuiſse voces illas in deſcribenda Tamburini ſententia; ſed addo, id vitio exſcriptoris,aut typographi,non ulla Concinae opera,vel artificio accidiſſe. At quanti eſt, inquies, cum de hujuſmodi erratis reſpondendum eſt, ad exſcriptoris, aut typographi vitium confugere, eorumque culpa accidiſſe dicere, ut Caſuiſtarum opiniones vitioſe deſcriberentur? Quanti eſt rogas? Id quidem, cum non ſine ratione fieri conſtat, tanti eſt,quanti egregiam Concinae fidem, falſitatemque accuſationis tuae ita patefacere, ut contra mutire non poſſis. Num Concina pag. 84. num. xxii. rurſus non exſcribit eandem Tamburini propoſitionem, ejuſque falſitatem diligenter expendit? Num ibi omittuntur voces illae: *non interrogato*? Haud ſane omittuntur; nam ita ibidem deſcripta eſt Tamburini propoſitio, ut quivis legere poteſt: ,, non erit ex Sanchez talis nullitas ,, illi a confeſſario non interrogato patefa- ,, cienda ,,. Ex quo perſpicitur,non eſſe data opera in cathalogum vitioſe relatam; ſed eorum, qui eam exſcripſerunt, vel etiam ty-

po-

pographi negligentiae eſse aſſignandum, ut ibi integre deſcripta non fuerit . Itaque da operam, Noceti, ſi ulla ratione efficere potes, ut te explices; cumque non tam quemadmodum unaquæque ſententia in cathalogis deſcribatur, ut ſæpe dixi, quam quemadmodum opportuno loco refellatur, conſiderari conveniat, cauſsam afferas, cur errorem cathalogi cum invidioſa criminatione protuleris; locum, ubi nullus eſt error, & ſumma diligentia perſpicitur, tacitus praetermiſeris. Illud etiam video, te eandem invidioſam criminationem: *& quidem detruncando eas voces: non interrogato*: ſaepius in Concinam regerere; ſed minime miror, te, cum ſemel lineas quaſi tranſieris honeſtae rationis vindicandi veritatem, nullum deinceps tenuiſſe accuſandi modum.

CCXXXIV. De reliqua admodum prolixa oratione, in qua Concinæ acrimoniam, declamationeſque derides; eandemque ſententiam, cum ab Suareſio, cui nullum negotium exhibuerint argumenta Concinae; tum ab Soto, & aliis ſeptem Dominicanis, quos Concina praeteriit, propugnatam fuiſse demonſtras, quid dicam? Dicamne, oblitum te eſse eorum verborum: quibus nihil te defendere velle profiteris? Repetamne ea omnia, quae

de praeteritis Dominicanis multis in locis accurate reſpondi ? Non faciam; ne te, lectoreſque omnes taedio afficiam. Hoc tantum dicam, potuiſse te, ſi tam bonos habebat haec ſententia fautores, ſi firma tibi, recteque ab Suareſio defenſa fuiſse videbatur, miſſis fletibus, haec eadem breviter & dilucide patefacere, ſic, ut lectores intelligerent, inania eſse & futilia, quae Concina multis in locis Theologiae Chriſtianae contra diſputaret. Qua de re ſi aliquando cogitabis, hoc te praemoneo, ut miſſis locis illis Chriſtianae Theologiae, in quibus eam ab Concina oppugnari, diligenter indicaſti, eum conſulas, in quo data opera de hac ſententia ab eo diſputatur. Et ſane cum praeter alios illum indicaris: *Tom.* IX. *pag.* 795, miror te non animadvertiſse Concinam ibi ſcribere: „ Hanc gravem quaeſtio„ nem fuſo calamo pertracto Tom. II. „ Apparat. ad Theol. Chriſt. diſsert. I. cap. „ IV. adverſus Probabiliſtas. Eum locum „ conſule, ut plenam controverſiae aſse„ quaris notitiam „. Intellextin ? Hic erat locus, quem primum & prope unum conſulere & indicare debueras. Nam ex hoc loco didiciſses, multo deteriorem reddidiſse novos Caſuiſtas veterum ſcholaſticorum opinionem,

nem, praeſertim ob falſam notionem, ut ait Concina ibidem pag. 21. *quam Probabiliſtae formant de ignorantia invincibili*. Ex eodem didiciſses, Concinam non peperciſse Soto, omiſiſse Suareſium, & forte intellexiſses, firmiora eſse, quam putas, argumenta, quae profert, ad eam confirmandam.

CCXXXV. In capite LXVIII. dicam Concinae impingis, quod ſcripſerit Tom. 7. p. 122. „Ad „quid tenetur, qui impedit collatorem ne „Beneficium Eccleſiaſticum digniori con„ferat? ..... Et primum eligendum eſse „digniorem pro certo habeo, cum Conci„lium Tridentinum id expreſse Ses. 24. c. 1. „definierit, *eoſque alienis peccatis commu„nicantes mortaliter peccare*; *niſi quos di„gniores & Eccleſiae magis utiles ipſi judi„caverint &c.* Reſpondet P. Thomas Tam„burinus lib. 8. in Decalog. Tract. 3. cap. 4. „§. 4. Tridentinum Concilium, *vel primo „videtur per hoc*, digniores, *non aliud ſignifi„care velle, niſi dignitatem eligendorum, „ſumpto comparativo pro poſitivo: vel ſe„cundo locutione minus propria ponit dignio„res, ut excludat indignos, non vero dignos... „vel tandem tertio loquitur quando ſit con„curſus*. Et adducit auctoritatem Lauren„tii Valla aſserentis juniorem & ſeniorem

„acci-

„ accipi pro juvene & ſene. Hanc Tamburini & aliorum Probabiliſtarum opinionem damnavit Innocentius XI. „

Duo ſunt in hac Concinae oratione, quae tibi moleſtiam exhibent: primum quod non addiderit: Tamburinum ita probaſſe deſcriptam interpretationem, ut ei oppoſitam ſententiam, hoc eſt digniorem omnino eſse eligendum probabiliorem judicarit; deinde, quod addiderit, eam eſse opinionem Tamburini & aliorum Probabiliſtarum; id enim eo ſpectare, ut probabiliſmum odioſum redderet, cum tamen ab Vaſqueſio, Sancheſio, Leſſio, Caſtropalao, de Lugo, qui quidem ſunt Probabiliſtae, oppoſitum defendatur.

Ego vero de eo, quod primo loco opponis hoc tantum dicam, neceſse non fuiſſe, ut Concina hoc loco lectores moneret, ita probaſse Tamburinum eam verborum Concilii interpretationem, ut huic tamen oppoſitam ſententiam probabiliorem eſse fateretur. Quid ita? Quia hic agit de *reſtitutione*, & obiter tantum attingit controverſiam de Clerico digniore ad Beneficia producendo, de qua ſe alio loco dicturum promittit: ait enim in extremo §. *Sed hoc fuſius ſuo loco*. Quem locum tu ſane adire de-

debueras, ut intelligeres, tacuerit ne Concina de Tamburino, quod eum tacuiſse criminaris. Nam ſi loco indicato non tacuit, nihil illi vitio dari poteſt, cum muneri ſuo ſatisfecerit. Itaque Tom. 10. pag. 156. tractationis *de Beneficiis* caput ſextum ita inſcribit: *De dignioribus ad Beneficia Eccleſiaſtica eligendis. Laxa Filliuccii, Tamburini, aliorumque Probabiliſtarum interpretamenta reiiciuntur*: expoſitaque horum Caſuiſtarum ſententia, & propoſitione 47. *Cum dixit Concilium* &c. quam damnavit Innocentius XI „ Hanc, inquit, damnatam theſim totidem verbis docet P. Tamburinus: quem „ ut aliquo modo excuſet P. Viva in *trut.* „ in hanc theſim *num*, 1. advertit Tamburinum vocare *oppoſitam probabiliorem*. „ Papae! Hoc unum deerat, ut ſententiam „ in Tridentino evidenter traditam nec „ tamquam probabiliorem recognoſceret.

Ecce Concina non tacuit; ſi hoc magni facis, dixiſse Tamburinum oppoſitam illi ſuae Concilii interpretationi probabiliorem eſſe ſententiam. Concina quidem non magni facit, immo Vivam irridet, qui hac ratione Tamburinum excuſandum putavit. Quod ſi tibi non prabatur, unum reſpondebo, nihil id quidem pertinere ad fidem & dili-

diligentiam in exponendis Caſuiſtarum ſententiis, ſed ad proprium ejus de earum falſitate, aut veritate judicium, quod tibi, ſi potes, reſellere licet, criminari cum impoſture accuſatione non licet. At vereor, ne reſellere quidem non poſſis. Quid enim magnum eſt, eam verborum Concilii interpretationem, de qua nemo antea cogitaverat, ita probaſſe Tamburinum, ut ſententiam, quam verbaConcilii ſuapte natura ſignificabant, probabiliorem eſſe conceſſerit? An eum quiſquam tam ineptum putare poterat, ut quod illi primum in mentem venit, eratque hujuſmodi, ut grammaticorum regulis tantum niteretur, id pro tam certo, & explorato venditaret, ut etiam oppoſita omnium Teologorum, atque adeo ipſius Concilii ſententia probabilius, vel aeque probabile judicaret? Accedit huc, quod cum Tamburini ſit Canon ille: „ cum ſen-
„ tentiam quampiam probabilem .... ap-
„ pello, illud dico, eam te ſine peccati
„ ſcrupulo amplecti, atque in praxi ſequi
„ tuto poſse,„etiam ſi ſe oppoſitam ſuae interpretationi ſententiam probabiliorem eſse monuiſset; nihil tamen impediret, quominus eam interpretationem quivis *in praxi* ſequeretur. At Tamburinus, inquies, non ſolum

ſolum multo probabilius eſſe cenſuit ſaltem ad Beneficia majora producendos eſſe digniores; ſed etiam addidit: *nec in praxi aliter eſse conſulendum*. Quid igitur? Nihil eſt quod addidit. Nam ſi hoc dicere voluit, nullo modo ſequi licere intrepretationem, quae dignum, pretermiſſo digniore, ad *Beneficium* produci permittit, iam ſibi non conſtitit; aut quod hic ſcripſit, id cum Canone illo ſuo: *cum ſententiam quampiam*, &c. pugnare non vidit. Sin autem tantum intellexit; probabilem quidem ſententiam ſequi licere; praeſtare tamen, ut *in praxi* probabilior teneatur, id quidem non pluris faciendum eſt, quam quod unam probabilem, alteram probabiliorem appellarit. Hanc enim illi anteferri præſtare ex eo ipſo conſequitur, quod probabilior eſt. Ex quo intelligi poteſt, Caſuiſtas plerumque verbis ludere, & tum maxime nihil dicere, cum maxime ſibi quidpiam recte dicere videntur.

Alterum, quod opponis, ſane lepidum eſt „ Ad illud, inquis, *hanc Tamburini, & aliorum Probabiliſtarum opinionem*, quod dictum de more eſt ad conciliandum odium Probabiliſmo, & ad perſuadendum, ipſum eſſe hujus quoque laxitatis parentem: reſpondeo etiam op-

„ po-

„ poſitam ſententiam, nempe beneficia, „ dequibus hic loquitur Tridentinum ſub „ gravi conferenda eſſe dignoribus, eſſe „ „ probabiliſtarum. Illam acriter defendunt „ Probabiliſta Vaſquez Opus. de Beneficiis „ cap. 2. § 3. dub. I. Probabiliſta Sanhez „ lib. 2. Conſil. cap. I. dub. 2. &c. „ Hoc, inquam, ſane lepidum eſt. Primum non hoc modo, quod hic ſcripſit Concina, ſed tota quanta eſt ejus theologia eo ſpectat, ut odioſum reddat probabiliſmum. Quid enim aliud oppugnat, niſi ejuſmodi ſiſtema, ex quo tot *laxitatum* errores manarunt, quot ne numerare quidem poſſumus? Quod cum dico, non ex uno probabiliſmo profectas eſſe affirmo omnes *laxitates*; conſtat enim etiam veteres, quibus ignotus erat probabiliſmus, & quod homines eſsent, nihilq. humani ab ſe alienum putarent, incidiſſe interdum in abſurdas, falſaſque ſententias; at errores non eſse errores; nihilque veteres, aut novos peccaſse Theologos, quin probabilitate conveſtitum in ſententiis morum numeretur, id quidem uni probabiliſmo acceptum referri debet.

Quod dicis, Vaſqueſium, Sancheſium, Leſſium, Caſtropalaum, de Lugo, alios Probabiliſtas oppoſitam ei, quae placuit Tamburino,

rino, defendiſse ſententiam; fateor id quidem, neque dubito, quin aliquot aliae reperiantur morum ſententiae, quas una pars Probabiliſtarum prorſus reiiciat, altera amplectatur; at hoc non evincit, nullam eſse inter eas & probabiliſſimum cognationem. Qua de re legere potes quae ſcripſi Epiſtola octava n. cxxxxiv. In hac autem, qua de agitur, controverſia, manifeſtum eſt; nam iidem illi, quos docuiſse dicis eligi oportere digniorem, non negarent, oppoſitam ſententiam eſse probabilem, ut reipſa non negare videtur Caſtropalus, qui, quod dignior eligatur, probabilius exiſtimat; & nunc quoque, niſi damnata eſset, propter auctoritatem Tamburini & Filliuccii, qui ſunt omni exceptione majores, probabilis haberetur. Viva ecce, qui licet damnata ſit, eam tamen ita interpretratur, ut partem retineat erroris. Qua de re ita ſcribit Concina loc cit. „
„ Viva in *Commentariis* ad hanc propoſitio-
„ nem num. 10 de more commentum, quo
„ damnatae propoſitionis vim extenuet, ex-
„ cogitavit. Qui docerent, inquit, in aliis
„ Beneficiis ab Epiſcopatu ſat eſse eligere
„ dignos in conflictu digniorũ, non incurre-
„ rent poenas latas contra tuentes aliquam
„ ex theſibus confixis, quia Tridentinum
„ lo-

,, loquitur ſolum de Epiſcopatu , non de ,, aliis Beneficiis curatis . Haec ſunt conſueta blandimenta , quibus P. Viva delinire opinionum laxarum damnationem ,, ſolet . Propoſitio proſcripta abſoluta eſt: ,, & quamvis mentio ibidem fiat Tridentini Concilii , non propterea locus eſt interpretationi P. Viva , ut ego quidem ,, ſentio . Theſis proſcripta loquitur de ſacerdotibus , qui ad Eccleſias regendas, ,, nulla aut parochorum , aut Epiſcoporum mentione facta , promoventur . ,,

Omiſso capite libelli tui LXXXII, de quo dixi epiſta I. num. X. & ſeq. venio ad LXXXIV. quod ita inſcribis : *Reſtituitur ſuae integritati ſententia Taburini* . De eo ſic ſcribit Concina Tom. 8. pag. 344. ,, Nimis ,, quoque laxa eſt opinio Tamburini de ,, Meth. Comm. cap. 1. num. 63, & Leandri ,, quaeſt. 18 , qui docent, poſse laicum aſſidentem cum aliis ſcamno, ſeu menſę Communionis Euchariſtiam ſuſcipere non pręmiſsa confeſſione lethalis culpæ, cuius recordatur , etiam ſi abſque ſcandalo recędere valeat . ,,

His tu deſciptis Concinae verbis , ,, Non eſt , inquis erratum , ſi velis , magni momenti ; nihilominus non ex poni- ,, tur

„ tur integre & ſincere ſententia Tamburi-
„ ni. Tamburinus enim non loquitur indefi-
„ nite, & univerſaliter de quacumque cul-
„ pa lethali, cuius quis recordetur: e. g. de
„ culpa lethali poſtquam ille nunquam
„ confeſſionem peregerit, quod eſset du-
„ rius. Sed loquitur definite de culpa
„ lethali non manifeſtata per oblivionem in
„ confeſſione praemiſsa, & in ea indirecte
„ abſoluta, quod eſt minus durum. En ti-
„ tulum illius paragraphi: *De eo, qui ante*
„ *communionem recordatur peccati indire-*
„ *cte abſoluti.* „

Primum, his lectis Epiſtolis, facile intelliges, te nullum protuliſse magni momenti erratum, aut, ſi quod protuliſti, difficile mihi non fuiſse oſtendere, illud ipſum non Concinae, ſed tuum, vel illius eſse caſuiſtae, quem vindicares. Deinde ſi hoc leve eſt, cur illud non omiſiſti? An non ridiculum tibi videtur, ne leviſſimum quidem pati poſſe tribui caſuiſtae erratum, cujus opera refertiſſima ſunt magnorum errorum, ex quibus duodecim in hoc uno volumine ab Concina refelluntur; & merito omnium, qui vulgo leguntur, deterrimus iudicatur? Sed age: quid ſi non leve, ſed nullum omnino eſset quod objicis, erratum? Nonne ſermo eſt

de *Laico*? Plane, inquies, quid igitur? Dicam. Quum non ſoleant *Laici* ad ſumendam Euchariſtiam accedere, niſi prius exomologeſim faciant, nihil eſse cauſsae poteſt, cur quiſquam dubitet, quaeſtionem eſse de peccato, quod laicus ſit oblitus in exomologeſi facienda. Et nemo ſane, qui Concinam leget, aut cui quaeſtio ita proponatur, ut ab Concina proponitur, aliud intelliget.

Nolo tamen putes, hac una ratione, quae certe manifeſta eſt, niti Concinae defenſionem. Is enim ne illud quidem omiſit, quod tu, tametſi leve eſse fatearis, nolles tamen eſse praetermiſsum. Nam cum haec quaeſtio duas habeat partes, una quidem ſi laicus recordetur peccati, quod oblitus ſit, priuſquam eo accedat, ubi populo Euchariſtia diſtribuitur; altera ſi tum recordetur, cum jam eodem acceſſit; Concina, poſtquam egit de hac poſteriore num. XXII, & XXIII, priori reſpondet hoc modo num. XXIV. „Qui „antequam ad altare accedat, poſt pera„ctam confeſſionem recordatur alicujus „peccati mortalis non manifeſtati in con„feſſione, tenetur illud confiteri, ut com„muniter docent vel ipſi benigniores Ca„ſuiſtae cum Leandro quaeſt. XXI. ubi pro
„con-

„ contraria opinione omnino improbabili
„ & laxa refert P. Reginaldum Tom. 11.
„ lib. 29. cap. vi. quaeſt. vi. ſect. 1. Cor-
„ neo, & alios „.

Haud ſcio, an ullus, praeter te, revocare in dubium poſset, utrum in expoſita Tamburini & Leandri ſententia ſermo eſset de peccato, quod Laicus oblitus eſset in Sacramento poenitentiae, quod ſumptioni Euchariſtiae praepoſuit; an de eo, *cujus quis recordetur ... poſtquam ille nunquam confeſſionem peregerit*.

CCXXXVII. Quod autem dicis eandem ſententiam defenſam fuiſse ab Franciſco Victoria, te autem in indice illud: *Laxe docet*, de Tamburino diſcipulo legere, de Victoria Magiſtro non legere, id quidem jamdudum ejeci, multiſque rationibus evici, nihil iam vobis magis obeſſe, quam iſtum diſcipulatum, quem ſi ad veſtram qualemcumque excuſationem, non ad *laxitatem* impune retinendam obiiceretis; aliquem modum errandi faceretis, neque committeretis, ut hoc genere perfugii deinceps egeretis. Jam conſtat inter omnes, ut alibi dixi, vos iſtum diſcipulatum centum ab hinc annis obiecisse Wendrochio, & Paſchali; neque tamen ullam operam dediſſe, ut melius ſaperetis. Nam illud etiam con-

ſtat, vos non ſolum in iiſdem ſententiis, quas illi reprehendebant, voſque a noſtris Theologis accepiſse dicebatis, adhuc perſtitiſse; ſed etiam nihil operoſius egiſse, quam ut eas editis *Summis*, *Compendiis*, *Trutinis*, *Medullis*, *Vindiciis*, ſuſceptiſque cum viris doctis, atque adeo cum Epiſcopis inimicitiis, per omnem Europam diſſeminaretis, & probabiles eſse defenderetis. At hoc tempore, quo eas ſententias oppugnamus; & vos nihil aliud in ore habetis,niſi iſtum diſcipulatum, neque ceſsatis indices conficere mendaciſſimos illos quidem noſtrorum errorum, hoc, inquam, tempore quid agitis?Quid egit is,qui non ita pridem edidit Venetiis opera Tamburini? An quidquam emendavit? An ullam ex innumerabilibus, quae in iis leguntur, laxam correxit opinionem. Concina ecce, qui in epiſtolis ad te latine ſcriptis pag. 108. & ſeqq. quatuor & ſeptuaginta ex uno Tamburino excripſit morum ſententias,) neque dubito, quin multo plures excribi poſſint) quae omnes quidem falſae ſunt, quaedam autem iis, quae proſcriptae fuerunt, multo deteriores. Quid igitur?Voſne cum a nobis refellentur ejuſmodi ſententiae, obiicietis nobis Victoriam, aut Ledeſmam, ſi quam for-

forte ex his acceperit Tamburinus? Vos, inquam, qui Tamburinum laudatis, qui ejus opera magni facitis, qui omnia probatis, quae in iis continentur, (nam niſi probaretis, ut eadem emendata ederentur curaretis, aut cum vituperantur, ſileretis), dolebitis, non nominari a nobis Victoriam, aut Ledeſmam, quos nominat interdum Tamburinus? Ecquid peccant modo Victoria, aut Ledeſma? An vobis diſtricto gladio necem minantur, ſi quam olim ab ipſis accepiſtis, eam nunc deſerere velitis opinionem? Noli, Noceti, iſtum diſcipulatum, quem tibi magno praeſidio fore putaſti, amplius obiicere; nam quamquam non nihil valere poſſit ad aliquem fucum faciendum imperitis, viri tamen docti probe intelligunt, latebram in eo vos quaerere, unde pro probabiliſmo, laxiſque ſententiis tuto atque impune depugnetis.

CCXXXVIII. Ceterum,ut ad Concinam redeam,tantum abeſt,ut is ullo partium ſtudio praeditus ad ſcribendum acceſſerit, ut contra ultro nominarit laxarum opinionum fautores Dominicanos, quos a vobis præteritos eſse animadvertit. Namque audi quid ſcribat in hoc eodem Tomo pag. 3. „ P. Domi-
„ nicus Viva in hanc Theſim (*Non eſt illi-*

 „ *ci-*

„ *citum in ſacramentis* &c.) num. 8. refert
„ PP. Serra & Ledeſma Dominicanos do-
„ cuiſſe damnatam propoſitionem, potuiſ-
„ ſet addere etiam Medinam, Ildephon-
„ ſum, & alios iſtius Ordinis probabiliſtas,
„ quos ego non minus, ac probabiliſtas alte-
„ rius inſtituti confutare ſoleo. „

Contra Tom. 4. pag. 657 loquens de quadam opinione, quae a multis improbatur: „ Joannes Sinnichius, inquit, in ſuo
„ *Saule Exrege* cap. cxix. iniuſte vexat
„ Thomam Tamburinum, quaſi iſtius opi-
„ nionis inventorem; atque laxitatis reum
„ poſtulat. Verum, quemadmodum frequen-
„ ter jure vapulat Tamburinus a Sinni-
„ chio, ſic in praeſens Sinnichius imme-
„ rito, ut ego quidem arbitror, & ut id,
„ quod ſentio nullo partium ſtudio præven-
„ tus dicam, Tamburinum torquet; cum
„ is talem opinionem a Cajetano, Leſſio,
„ aliiſque mutuatus ſit. „

Haec loca, & alia horum ſimilia, quae quidem frequenter occurrunt in Chriſtiana Theologia, & nunc proferre non eſt neceſſe, docere te poterant, utrum partium ſtudio præditus Concina ad ſcribendum acceſserit; an potius diligenter paruerit Cani documento lib. 7. cap. 3. *propoſitum eſt enim veri*

ri reperiendi cauſſa , & contra noſtros , & pro alienis etiam dicere, & cum res poſtulat, nullius accepta perſona , reprehendere . Nam ut in omnibus quaeſtionibus idem praeſtaret , & neminem unum omitteret cujuſq. ſententiae fautorem,neque fieri poterat, neque poſtulandum erat,ut iam ſaepe dixi , & tam copioſe demonſtravi,ut te obruerim multitudine argumentorum , quibus neque tu ſane, neque tuorum quiſquam unquam ſatisfaciet. Nunc illud unum repetam , quod mihi maxime placet , viriſque ſapientibus vehementer probatum eſſe intelligo , quod ij cumprimis repellendi eſſent , in eorumque libris indicandus error , a quibus obſtinate defenderetur , neque aliam ejusdem retinendi rationem afferrent , niſi quod eum ab veteribus accepiſſent : hoc eſt, quod veteres ita legiſſent , ut ſaepe , miſſis frugibus , glande veſci maluiſſent .

CCXXXIX. Denique cauſſam agis Tamburini in cap.libelli tui LXXXV.ubi doles,ſcriptum eſſe in indice ejuſdem voluminis: *Tamburinus (P. Thomas) Laxe quotidianam communionem omnibus peccato lethali inquinatis concedit .*

Nego : nam ſcriptum eſt hoc modo : *laxe quotidianam communionem omnibus*

peccato lethali non inquinatis concedit. Atque hic locus, docere te poteſt, ecquando fiat, ut in una vocula ingens lateat impoſtura. Non dubito, quin eo confugies, ut dicas, erratum eſse typographi, idque conſtare ex eo, quod in ipſo capite non doleas laxam opinionem, ſeu potius magnum errorem attributum eſseTamburino. Sed nihil proficies;nam cum probe videris,idem ſępe,multoque juſtius dici poſse ab Concina, puta, ne longius abeam, cum in deſcribenda Tamburini ſententia :*ſi praevideat Confeſſor* &c. de qua dixi ſupra omiſsa ſunt verba : *non interrogato*; & nihiloſecius non dubitaris eum ob eam cauſsam malae fidei iuſimulare, aſtuteque omiſsa fuiſse dicere eas voces Tom.7.pag.55. quamquam omiſsae non eſsent pag.84, ubi rurſus deſcribitur, recteque explicatur propoſitio Tamburini; cui nunc te probaturum excuſationem tuam,typographique eſse hoc erratum perſuaſurum arbitrare?

Atque ego eo juſtius queror,quod multo plures Chriſtianae Theologiae loca, in quibus opiniones explicantur, & refelluntur, quam catalogos, aut indices,in quibus eaedem tantum indicantur, legant: contra poſito pignore contendere poſſim,multo pulres in-

inſcriptionem tantum capitum libelli tui, quam capita ipſa hactenus legiſse; ex quo conſequitur, perinde nocere Concinae iſtud erratum, ac ſi nullo modo in ipso capite eſſet emendatum. Ne illud quidem tibi prodeſse poteſt, quod in editione Romana libelli tui, correctum fuerit ejuſmodi erratum; additaque huic loco particula negans, quae omiſsa fuerat in editione Lucenſi: non, inquam, hoc tibi prodeſse poteſt: proptepterea quod, ut omittam, longe plura vulgata eſse editionis Lucenſis exempla, praeſertim liberalitate veſtra, qui ea quam plurimis donaſtis: quid illuſtrius, amabo te, quid luculentius deſiderari poterat publica illa Concinae declaratione, in qua de verbis illis in propoſitione Sancheſii *nec confeſsor poteſt illos inſtruere* ſcriptum erat pag. 2. *error ... ortus eſt, ut quiſque* (excepto Nocetio) *judicare poteſt vel a vitio typographi, aut viſus mei debilitate, a malitia voluntatis nullo modo* (jam oſtendi ab laxitate Sancheſii ortum eſse) quid, inquam, illuſtrius, & ad omnem errorem, ſi quis eſset, obliterandum magis opportunum hac publica declaratione deſiderari poterat? Et tamen haec tibi declaratio non ſatisfecit. Nam veritus non es eundem errorem Concinae criminoſe obiicere,

cere, eumque, quaſi de eo emendando ne per ſomnium quidem cogitaſset, ſic inſimulare, ut in ſuſpicionem malae fidei adduceres. Cur igitur non obiiciam ego tibi mendum longe graviſſimum; aut ullam rationem habeam editionis Romanae libelli tui, cum tu nullam habueris hujus *declarationis*?

Haec eo diſputo, non quod arguere, aut convincere te velim ullius impoſturae, aut negare hoc erratum eſse typographi; nam contra, ſi tu negare velles, ego invitum te cogerem fateri eſse typographi; ſed quod intelligas velim, qui fueris Concinae accuſator; cum jam non poſſis excuſare erratum tuum, quin te ipſum in eo accuſando ſaepe lapſum eſse concedas.

CCXL. Sed jam licet agas cauſsam Tamburini: „ Evidentem hanc impoſturam, inquis,
„ non poſsum melius lectorum oculis ſubii-
„ cere, quam recitando verba Tamburini in
„ Meth. Communionis cap. 1. §. undecimo
„ ubi ſic: *Licere Communionem quotidianam*
„ *laico etiam uxorato, imo eam vetare illi*
„ *nec Confeſsorem nec ſuperiorem poſse: quia*
„ *cum Chriſtus Dominus omnibus, qui pecca-*
„ *ti mortalis ſibi conſcii non ſunt, ſive cum*
„ *magno, ſive cum parvo devotionis affectu,*
„ *liberaliter conceſſit, docet cum paucis Joan-*
nes

„ *nes Sanchez in ſelectis diſp. 22. negat*
„ *cum aliis multis Johannes de Lugo diſput.*
„ *17. de Euchariſtia ſect. 2. ſolumque con-*
„ *cedit maximo ferꝟoris ſpiritu accenſis,*
„ *Sanctae Catharinae, & ſimilibus. Lege,*
„ *eos, ſi hanc quaeſtionem late diſcuſsam ꝟi-*
„ *dere in animo eſt. Nos breꝟiter negantem*
„ *ſententiam amplectimur, quia putamus*
„ *id cedere majori reꝟerentiae Sacramen-*
„ *ti. Affirmans opinio illud a Confeſsariis*
„ *obtineat, ut fidelibus Sacram Communio-*
„ *nem* (non dicit quotidianam, aliter ſibi
„ ſtatim & immediate contradiceret; qua-
„ re ſignificare non poteſt, niſi frequen-
„ tem) *appetentibus, ſiꝟe etiam ſolum pe-*
„ *tentibus ſeſe faciles in poſterum exhibeant.*

„ Facile creſcet cenſus laxitatum at-
„ textus Tamburino, ſi cum iſte diſertiſſi-
„ me amplectatur ſententiam negantem, in
„ indice ponatur, *concedit*. „

Non in Concinam quidem, ſed in auctores *indicis* confertur haec criminatio. Itaque reſpondebunt tibi *indicis* auctores, Tamburinum ita partem negantem probaſſe, ut etiam ajentem admiſerit: Nullum eſse locum expoſitioni tuae: *non dicit quotidianam*, propterea quod, cum diſerte ſcripſerit: *Affirmans opinio illud a Confeſsariis*

obti-

obtineat &c. cumque affirmans opinio loquatur de quotidiana *communione*, neceſse ſit,de hac eadem locutum eſse Tamburinum: neque tamen iſto modo ſecum ipſum continuo pugnaſſe;ſed cum negantem *directe*,ut jidem loqui ſolent,probaſset;tum ajentem *reflexe*, & propter ſcriptorum eandem propugnantium auctoritatem, probabilem judicaſse: eundem, etiamſi de frequenti *communione* locutus eſset, nihiloſecius magnopere erraſse, eo quod frequentem *communionem* facile concedi poſse ſcripſerit non ſolum eam *appetentibus*, ſed *etiam ſolum petentibus*, quaſi ſi tantum *communio* petatur, id ſatis eſse oporteat ad eam impetrandam: quare recte Concinam adſcripſiſse huic ſententiae Tamburini: „ Prudens ne, & ſalu„ bre monitum iſtud? Ex hac profecto, „ quantum quidem arbitror, facilitate plu„ res ſacrilegae communiones ortum du„ cunt.

Hactenus Indicis auctores quibus ego facile aſſentior. Unum addo, nullum adverſus eos expoſtulationi locum eſse debuiſse in eo libello, quem data opera confeciſses ad accuſandum Concinam, ne quoquo modo imperitis ſuaderes ad eum pertinere indicis errata, quae licet aut nulla,aut leviſ-

ſima

ſima ſint, invidioſe tamen a vobis obiiciuntur, miranturque homines ſapientes, tantam in vobis fuiſse accuſandi Concinae libidinem, ut quod nemo hactenus fecit, aut factum iri cogitavit, etiam de *indicibus* cavillari volueritis; neque rationem habueritis vel conſuetudinis omnium ſcriptorum, qui non ſolent tempus conſumere in indicibus operum ſuorum conficiendis; vel, quod majus eſt, & numquam vobis ſatis exprobandum, ipſius Concinae, qui de hac veſtra apud ſummum Pontificem conqueſtione in ſua declaratione num. 3. reſpondit: *ingenue fateor, indices a me non eſſe confectos, quare nihil mihi vitio dari poteſt*. Et vos, qui poſt compoſitam a Summo Pontificem litem, editamque ejuſdem voluntate ejuſmodi *declarationem*, in qua vobis plus nimio, ut oſtendi, conceſsum fuerat, bellum hac *veſtra veritate vindicata* redintegraſtis, ut innoxium, atque innocentem adverſarium crudeliſſime feriretis, nunc pacem quaeritis? Nunc modum controverſiarum fieri poſtulatis? At de pace dicam poſtea.

CCXLI. Nunc quoniam ſatis accurate reſpondi de Tamburino, reliquum eſt, ut dicam ad ea, quae Concinam ſcripſiſſe *De Valentia primo.*

ſe doles contra Valentiam, multo meliorem Tamburino ſcriptorem, quem tamen non tam vere, quam non inepte defendis. Jam quae opponis cap. LVI., & cap. LXXV; ea epiſtola 4. num. LXX. cum agerem de Filliucio, & Epiſtola octava cum dicerem num. CLXXXIV. de Reginaldo falſa eſse evici, Concinaeque, non tibi eſse aſsentiendum demonſtravi. Nunc doles cap. LXXII ſcripſiſseConcinam Tom. 7. pag. 275
„ P. Leſſius loc. cit. (lib. 2. cap. 14. num.
„ 64.) praeter Valentiam, Solonem, Dia-
„ nam, & plures alios hanc propugnat opi-
„ nionem, quod nempe Judex pecuniam ac-
„ cipere jure valeat pro ferenda ſententia,
„ juxta unam opinionem probabilem, po-
„ tius, quam juxta aliam „ doles, inquam, nominatum ab Concina in hujus ſententiae ſubſidium fuiſſe Valentiam, & locum tibi demonſtrari poſtulas; ubi eam Valentia propugnet. „ Propugnat ille quidem, inquis,
„ poſſe judicem, quando opiniones ſunt
„ aeque probabiles, judicare propter ami-
„ cum ſecundum illam, quae amico favet:
„ ſed nuſquam propugnat poſſe judicem
„ accipere pecuniam, ut ferat in eo eventu
„ hanc ſententiam potius, quam aliam.
„ En ejus verba in 2. 2. diſp. 5, quaeſt. 7.
„ punct. 4.

„ punct. 4. *Dico 5. Si judex reputaret opi-*
„ *nionem aeque eſſe probabilem, licite poſſet*
„ *propter amicum ſecundum illam judicare,*
„ *quae amico magis favet*. Et ne verbum
„ quidem habet, uſquam de acceptione
„ pecuniae, vel P. Concina, ut dixi, do-
„ ceat ubi. At ab aliis citantibus Valen-
„ tiam deceptus eſt. Reſpondeo primum„.

Reſpondebis tu quidem, quod tibi lubet, ſed tempore. Nunc mihi quaerendum eſt, ecqui ſint alii, a quibus deceptus eſt Concina? Quare non nominas? locus afferendus erat Concinae, ex quo intelligi poſſet, quare Valentiam nominavit. Afferam ego. „ Admonere lectorem mea intereſt,
„ P. Thomam Tamburinum hanc diſputare
„ controverſiam (*utrum probabiliſſimus ſit*
„ *materia vendibilis*) lib. VIII. in Decal.
„ cap. VII. §. 3. num. 13, ubi hunc propo-
„ nit titulum. *Venditio ſententiae probabi-*
„ *lis*, & his verbis appoſitam propoſitio-
„ nem diſcutit. *Occurrit hic non abſimilis*
„ *difficultas ac in judice. Supponamus pro-*
„ *babilem eſse eam opinionem, de qua late,*
„ *dixi lib. 1. cap. III. quam praeter ibi ci-*
„ *tatos, ſequitur Dicaſtillus lib. II. de Juſt.*
„ *tract. 1. diſ. 5. dub. 7. licere judici ex*
„ *duabus opinionibus aeque probabilibus*
unam

„ *unam eligere , & juxta illam proferre*
„ *ſententiam . Jam inquiro licite ne, & ju.*
„ *ſte accipiet judex pecuniam , ut potius il-*
„ *lam eligat, quae mihi favet , quam illam ,*
„ *quae meo adverſario ?*

„ Reſpondet ſe improbaſſe hanc opi-
„ nionem loc. cit. *Eam tamen* , (ſubdit)
„ *legat qui velit apud Leſſium lib.* 11. *cap.*
„ XIV. *dubit.* 9. *num.* 64. *Valentiam* 2. 2.
„ *quaeſt.* LXIII. *art.* 4. *d.* 5. *quaeſt.* VII.
„ *p.* 4..... *Salon.* 2. 2. *quaeſt.* LXII. *art.* 4.
„ *contr.* 2. Porro P. Leſſius, praeter Va-
„ lentiam , Salonem &c. „

Tamburinus ecce , qui nominat Leſſium , Valentiam , & Salonium in ſubſidium hujus ſententiae , ex quibus Concina unum legit , nimirum Leſſium , quem primum nominat Tamburinus ; neque neceſſe erat , ut ceteros ſibi legendos putaret , vel eos falſo ab Tamburino laudatos eſſe ſuſpicaretur ; alioquin , ſi decem , viginti , & eo plures , ut ſaepe fieri ſolet , nominaſſet , hos omnes adire , hoc eſt tempus , ut ſaepe dixi , in re prope ridicula , & quae nihil intereſſet ad utilitatem Chriſtianorum conſumere debuiſſet .

CCXLII. Nunc reſpondeas licet, ſi quid habes, quod tibi e re tua eſſe videatur. Sed nihil

te dictūrum puto, niſi quod tibi familiariſſimum eſt, & fruſtra ſemper objeciſti: colligat *neceſſitatem auctores in fonte legendi*. Cur tam ſedulo Concinae inculcas iſtam neceſſitatem, cui vides eum plus ſane, quam vos velletis, ſponte ſua paruiſse? An hic non legit Tamburinum, qui venditionem proponit ſententiae probabilis? An non legit Leſſium, qui eam judici, ſi reperiat emptorem, vendere permittit?

Itaque veniamus ad id, quod eſt omnium maximum. Cum probroſum eſſe ducas Valentiae ſi hanc ſententiam defendiſſe dicatur; cur paſſi eſtis, toties in eum hoc probrum conferri, quoties edita ſunt opera Tamburini? Quis non miretur, vos, cum centies edita ſint hujus caſuiſtae opera, nunquam tamen de Valentia vindicando çogitaſſe; at ſimul ac Concina Tamburini verba deſcripſit, miſertos Valentiae clamaſſe: impoſtura eſt: *Reſtituitur ſuae ſinceritati ſententia Valentiae*? At non erat, inquies, Valentia ab errore, qui ei falſo tribuitur, aliquando vindicandus? Quid ſi planum facio, quaerere vos quidem his conqueſtionibus Concinae invidiam; ceterum ut Valentia vindicetur, ejuſque ſententia *ſuae ſinceritati reſtituatur* non plus curare,

 quam

quam ut nitidiſſime edantur epiſtolae Provinciales? Quid, inquam, ſi hoc planum facio, numquid erit cauſſae, quin te non accuſationem, ut alibi dixi, pro defenſione; ſed defenſionem pro accuſatione ſuſcepiſſe fatearis? Nihil, inquies, erit cauſſae; verumtamen hoc monſtri ſimile eſt, non magis eſſe curae Jeſuitis, ut defendàtur Valentia, ejuſque ſententia *ſuae integritati reſtituatur*, quam ut nitidiſſime edantur epiſtolae Provinciales. Sed age. Nam quod tu monſtri ſimile dicis, id ego veri tam ſimile eſſe demonſtrabo, ut teipſum fateri cogam eſſe veriſſimum. Ecce tibi Venetam operum Tamburini editionem, quae an.1753. curata eſt ab Socio illo tuo, quem probe noſti acrem eſſe Tamburini amatorem, tuumque defenſorem. Sume, lege, oſtende mihi *reſtitutam* eſſe in hac editione *ſuae ſinceritati ſententiam* Valentiae. Oſtende, ablata eſse verba illa:*eam tamen legat qui volet apud ... Valentiam 2. 2. quaeſt. LXIII. art. 4. &c.* Quid eſt? Quid nunc taces? An tui te pudet? Credo equidem. At me pudet amborum. Nam hoc vere monſtri ſimile eſt, duos Jeſuitas uno fere, eodemque tempore, alterum quidem in Concina, alterum in Tamburino ea verba legere: & nihilo-

nihiloſecius illum, qui in Concina legit, queri, flere, dolere, clamare: *reſtituitur ſuae ſinceritati ſententia Valentiae*; alterum, qui legit in Tamburino, nihil mutire, nihil videre, quod ſit neceſse *integritati reſtitui*, ſed linquere totum id, quod ſcripſit Tamburinus. Vide, Noceti, ne quis ſuſpicetur, eo ſpectare, iſtam agendi rationem, ut uno tempore & imperitis ſuadeatur, ſententias probabiles fautorum niti multitudine, & is, qui eas oppugnare velit, ſi forte eos nominet, qui falſo a Caſuiſtis indicantur, arguatur impoſturae. Et ſane nihil his exemplis clarius afferri poteſt, ex quo intelligatur, non id agere vos, cum magno dolore ejulatis: *reſtituitur ſuae integritati ſententiam Valentiae, Leſſii, Laymani &c.*, ut eaedem ſuae integritati raſtituantur; alioquin vos ipſi ejuſmodi errata in eorum operibus non relinqueretis, immo operam daretis, ut quam primum tollerentur: ſed ut eorum, a quibus oppugnamini, eadem errata, ſi qua forte incaute deſcribant, eſſe videantur, vobiſque liceat his criminationibus eorundem fidem & diligentiam in ſuſpicionem adducere.

CCXLIII. Hic cum nullum haberes Dominicanum, qui defendiſſet, licere judici, cum

duas aeque probabiles habet opiniones, pecuniam accipere, ut potius unam, quam aliam ſequatur, ut Leſſium tamen quoquo modo tegeres, adduceresſque Dominicanos in ejuſdem erroris ſuſpicionem, protuliſti Medinam, qui 1. 2. q. 19. art. 6. concl. 2. docuit, licere judici, utram ipſe velit, ſequi; vel etiam, omiſſa probabiliore, ſequi probabilem: nec non Ledeſmam, qui 2. p. tract. 8. cap. 22. eundem errorem propugnavit. At non agitur in praeſentia de hoc errore, quem Medina ita defendit, ut illud Leſſii de accipienda pecunia ſibi non probari non obſcure ſignificarit; ait enim ibidem: „ Sed hic duo ſunt cavenda: unum eſt, ne „ judex propter munera, & propter affectus „ particulares exiſtimet eſſe opinionem „ probabilem, quae omnino eſt improba„ bilis „. Nihil erat igitur cauſſae, cur hic cum Leſſio, Medinam, & Ledeſmam conjungendos putares. Hic tantum animadvertas velim, non magis pecunia, aut muneribus, quam reſpectu ad amicitiam, (quae eſt ſententia Valentiae) depravari poſſe judicium, proindeque non magnopere erraſſe Tamburinum, qui Valentiam illius ſententiae fautoribus annumeravit, quae judici pecuniam accipere permittit,

ut

ut relicta probabiliore; probabilem in judicando partem ſequatur.

CCXLIV. Reſtat caput xcvi. ubi, *vindicatur*, inquis, *ab injuſtis criminationibus P. Valentia*. Porro injuſtas criminationes ea vocas, quae ſcripſit Concina Tom. 10. pag. 89: *De Valentia ſecundo.*
„ P. Gregorius Valentia inter primos citari ſolet, qui mandata contra ſimoniam laxavit. Hunc auctorem propriis oculis legi, & reipſa Tom. III. diſp. 6. quaeſt. XVI. punct. 3. conſuetis diſtinctiunculis legem eludit, inquiens: poteſt quis conferre ſpirituale propter temporale principaliter, tamquam propter finem; ita ut temporale apud eum non ſit finis ipſius rei ſpir'tualis, quaſi temporale pluris ab eo quam ſpirituale aeſtimetur; ſed tantummodo voluntatis, ſive applicationis animi ad actum conferendi ſpirituale: & hoc non eſt ſimonia.

„ Et paullo poſt, pag. 90. P. Viva reſcribit verba Valentiae, qui ſuam proſcriptam ab Eccleſia, ut mox videbimus, opinionem affinxit S. Thomae „.

Hae ſunt Concinae adverſus Valentiam criminationes, quae tibi cum injuſtae; tum potius in Sotum, quam in Valentiam conferri debuiſſe videntur. Quare ſtoma-

chans, & bile tumens: „ Pater Gregorius
„ Valentia, inquis, inter primos citari
„ debet, qui mandata contra ſimoniam ab
„ inſigni Dominicano laxata conſuetis di-
„ ſtinctiuuculis multum reſtrinxit. Et qui-
„ dem eo ipſo in loco, quem propriis ocu-
„ lis P. Concina legit, ſed valde mutilum
„ recitavit, ut occultaret lectoribus opi-
„ nionem Dominicani ſui vere proſcriptam
„ temperari eo in loco a Valentia, & coer-
„ ceri. Hoc quomodo ſe habeat, rem ab ini-
„ tiis repetendo palam faciam. S.Thomas
„ quodlibet 8. art. 11. &c „ Non erat hic
locus, Noceti, unde recte initium ſumeres, & rem, qua de agimus, explicare poſſes. Si volebas ordine agere, &, ut vindicem veritatis decebat, nullis artificiis occultare veritatem, ita ordiri debueras: Valentia loc. cit. quaerens: quandonam ſimonia *committatur ex parte actus emptionis & venditionis*. „ Prima quaeſtio eſt, inquit,
„ utrum quotieſcumque ſpirituale datur,
„ vel fit qualicumque modo pro temporali;
„ & e contrario; ſit tranſactio ſimoniaca.
„ Pro parte enim affirmativa &c... Reſpon-
„ deo: dubitari non poteſt, quin pars nega-
„ tiva hujus quaeſtionis certa ſit. Sed ta-
„ men movi hanc quaeſtionem, ut explica-

„ rem

„ rem breviter modos, quibus contingit
„ ſpirituale dari temporali, & e contrario,
„ ſine ſimonia. Et dicendum eſt convenien-
„ ter doctrinae communi, hos modos, ge-
„ neratim loquendo, eſſe duos. *Primus*
„ eſt, quando temporale eſt dumtaxat *mo-*
„ *tivum* conferendi, vel efficiendi ſpirituale;
„ aut e contrario. *Secundus* eſt, quando per
„ temporale fit ſolum *compenſatio gratuita*
„ pro ſpirituali, aut e contrario. His mo-
„ dis cum ſpirituale datur pro temporali,
„ vel e contrario, vitatur ſimonia. Quod
„ ita probo &c. „

Ex his Valentiae verbis facto dicendi initio, illud ſtatim conſtitiſſet, quod ait Concina, hunc Theologum in primis numerandum eſſe, qui laxarunt doctrinam de ſimonia; quippe qui diſerte propugnavit damnatam theſim 45: *dare temporale pro ſpirituali non eſt ſimonia, quando temporale, non datur tanquam pretium; ſed dumtaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi ſpirituale; vel etiam quando temporale ſit ſolum gratuita compenſatio pro ſpirituali; aut e contra*. Quid enim luculentius, quam doctrinam Valentiae ipſam eſſe proſcriptam theſim, vel hanc exſcriptam ex hoc loco Valentiae fuiſſe? Id ne Cardenas quidem ne-

gare potuit, cum ſcripſerit diſſert. 27. cap. 2. num. 14: *Propoſitio damnata reperitur, ut jacet, in Patre Valentia Tom. 3. diſp. 6. q. 16. punct. 3. & in aliis Auctoribus.*

CCXLV. Ex his progrediendum erat, ad ſecundam quaeſtionem, in qua proponit Valentia, utrum, etiamſi *temporale* conferatur ut *motivum* ad obtinendum *ſpirituale* ulla circumſtantia fieri poſſit, ut ſcelus ſimoniae admittatur: „ primo: nam quandoque accidit, inquit, ut temporale, quamvis ſit „ tantummodo motivum, tamen expectetur „ *principaliter* tanquam finis, propter quem „ conferatur ſpirituale, quo ſane caſu videtur eſſe ſimonia, ut aliqui doctores ſentiunt, de quibus poſtea. Et ratio eſt, nam „ tunc non videtur ſpirituale conferri gratis „.

Tum aliis duobus propoſitis circumſtantiis, puta ſi quis paciſcatur *de temporali retribuendo*, aut qui petit *ſpirituale* habeat, unde vivat, negantem partem amplectitur hoc modo: „ In his caſibus varie Doctores opinantur, ut poſtea videbimus; breviter tamen ex probabiliori ſententia Doctorum „ (quos poſtea citabimus) videtur reſpondendum: in foro quidem conſcientiae has „ & ſimiles circumſtantias non efficere ſi-

„ mo-

„ moniam, niſi quatenus interdum efficiunt,
„ ut temporale ſit pretium ſpiritualis, vel e
„ contrario, atque adeo ut temporale non
„ ſit dumtaxat motivum, aut gratuita com-
„ penſatio ſpiritualis; vel e contrario. Hoc
„ ſatis patet ex dictis in quaeſtione praece-
„ denti hujus puncti „?

Ecce ad eam *pretii*, & *motivi* dictionem velut ad ſaxum adhereſcit, & ex ea veluti ex quodam jacto fundamento, omnes de ſimonia quaeſtiones definire conatur. Nam quod dicitis, ipſum de beneficiis non eſſe locutum, ſed tantum de quibuſdam aliis quaeſtionibus, puta de ſtipe, quae Sacerdoti rem divinam facienti tribuitur, aut ſtipendiis, quae Clericis Eccleſiaſticas functiones obeuntibus, lege aliqua, aut conſuetudine conſtituta ſunt, id ego poſtea falſum eſſe demonſtrabo, evincamque omnia complexum eſſe Valentiam, quae in controverſia de ſimonia tractari ſolent. Interim conſtat, Valentiam his locis generatim loqui, nihilque excipere, de quo excepto intelligi non debeat, quod initio conſtituit: vitari ſimoniam *quando temporale eſt dumtaxat motivum conferendi, vel efficiendi ſpirituale, aut e contrario*.

Haec cum plane perſpicua ſint, videamus

mus quemadmodum reſpondeat de ſingulis illis *circumſtantiis* quas initio propoſuit : ,, Hoc poſito , inquit, reſpondendum eſt ,, etiam ad tres illas rationes dubitandi . ,, Et quod ad primam attinet, Navarrus ,, cap. 23. num. 101. & Hadrianus, quod- ,, lib. *9*. & Gabriel in 4. diſt. 25. quaeſt. 2. ,, & Covarruvias lib. 1. variar. reſolut. cap. ,, ult. num. 3., & alii ſimpliciter dicunt eſſe ,, ſimoniam conferre ſpirituale *principali-* ,, *ter* propter temporale tanquam propter ,, finem. Et videtur eſſe ſententia S. Tho- ,, mae tum hic art. 5. ad 3. tum etiam quod- ,, lib. 8. art. 11. ubi ait, illicitum eſſe ire ad ,, Eccleſiam, propter diſtributiones prin- ,, cipaliter tanquam propter finem; quam- ,, vis non, ſi propter eas eatur, tanquam ,, propter motivum ſecundarium. Sotus ta- ,, men lib. *9*. de juſt. quaeſt. *6*. art. 2. ante ,, reſponſionem ad argumenta contrarium ,, opinatur. Et ideo dictum illud S. Thomae ,, cenſet eſſe intelligendum, quando tem- ,, porale principaliter intenditur tanquam ,, pretium. Et idem ſenſiſſe videtur Franci- ,, ſcus Victoria in relect. de ſimonia num. 33. ,, & ſeq. Sed poſſunt in concordiam redigi ,, iſtae duae opiniones &c. ,,

De hac concordia dicemus paullo poſt. Nunc

Nunc de tua defenſione, qui ex hoc loco rem narrare incipis, dicere oportet. Nam poſteriorem Thomae locum, nec non illum alterum Soti, quos indicat Valentia, accurate deſcribis, ſexcentiſque interjectis, diſperſiſque animadverſionibus pervincere conaris, Soti quidem eſſe, non autem Valentiae damnatam theſim; & hujus omne ſtudium in eo poſitum fuiſſe, ut ſententiae Dominicani *laxitatem* temperaret, eumque cum Divo Thoma diſſentientem conciliaret.

Valde quidem prolixa eſt oratio tua; ſed facere non poſſum, quin eam integram deſcribam, nequam in me conferas criminationem, quaſi argumenta tua occultare voluerim. Illud tamen ego emolumenti capiam, quod ex ea magis, magiſque lectores intelligent, quam recte vindicis veritatis perſonam indueris. Itaque ſic ordiris: „ S. Thomas quodlib. 8. art. 11. loquens de illo; „ qui pergit ad Eccleſiam propter diſtributiones, alias non iturus, & quaerens utrum „ iſte ſimoniam committat, ita reſolvit: „ *Si hujuſmodi diſtributiones reſpicit quaſi* „ *finem ſui operis principaliter intentum*, „ *ſimoniam committit, & ita mortaliter* „ *peccat. Si autem habet principalem finem* „ *Deum in tali actu; ad hujuſmodi autem*

„ *di-*

,, *diſtributiones reſpicit ſecundario,non quaſi*
,, *finem, ſed ſicut in id, quod eſt neceſſarium*
,, *ad ſuam ſubſtentationem: conſtat, quod*
,, *non vendit actum ſpiritualem, & ita ſimo-*
,, *niam non committit, nec peccat. Sic enim*
,, *acceptio diſtributionum non erit cauſa,*
,, *quare ad Eccleſiam vadat, ſed proprie hu-*
,, *juſmodi determinatio, quare nunc vadat,*
,, *& non alia vice.*

,, Dominicus Soto inſignis Dominica-
,, nus difficultatem patitur in admittenda
,, hac Divi Thomae reſolutione. Quia cum
,, Clerici,& Beneficiati eant, ut plurimum
,, ad perſolvenda divina officia non niſi ſti-
,, pendii gratia, non niſi intuitu nummula-
,, riae diſtributionis,alias non ituri; tantum
,, diſtributionis gratia,itaut alias non irent,
,, adeoque cum diſtributiones reſpiciant
,, tamquam finem ſui operis principaliter
,, intentum, ex doctrina D. Thomae ſeque-
,, retur,ait Soto, omnes damnandos eſſe
,, ſimoniae, quod profecto durum eſt cre-
,, ditu.

,, Quamobrem relicta doctrina Divi
,, Thomae defendit,eos Clericos non com-
,, mittere ſimoniam, tametſi habeant tem-
,, porale pro fine principali, immo unico
,, (tantum diſtributionum gratia,itaut alias

,, non

„ non irent) ſui operis ſpiritualis ; dum„ modo non intendant illud temporale tam„ quam pretium ſpiritualis, quae eſt doctri„ na ab Eccleſia proſcripta, ut mox videbi„ mus . En ſumma fide verba Soti lib. 9. de „ juſt. quaeſt. 6. art. 2.

„ *Poſtremum hic dubium reſtat tri„ viale de Canonicis , atque aliis Clericis , „ qui ad horas canonicas in Eccleſia nonniſi „* (en lectores finem non modo principa„ lem , ſed unicum) *ſtipendii gratia con„ currunt ; utrum ſimoniae vitium contra„ hant ? Ad hoc Divus Thomas quodlibeto „* 8. *quaeſt. 6. , ſeu art.* 11. *reſpondet, quod „ ſi ſtipendium ſit finis intentionis celebran„ di divinum officium , ſimonia committi„ tur , quoniam tunc ſtipendium habet ra„ tionem pretii , quo non eſt licitum ven„ dere rem ſpiritualem , quale eſt divinum „ officium . Si autem principalis intentio „ non ſit , niſi divinus cultus ; temporalis „ vero fructus ſit acceſſorius , tamquam ad „ ſuſtentationem neceſſarius , non eſt ſimo„ nia . Haec autem ſolutio , niſi ſane intelli„ gatur , ſcrupulis punget humanas con„ ſcientias . Videtur enim hic D. Thomas „ ut Simoniacos condemnare , quotquot „ ad Eccleſiam ire pergunt intuitu num-*

„ mu-

„ *mulariae diſtributionis*, *alias nequaquam ituri* (en iterum finis principalis, „ vel unicus), *quod profecto durum eſt creditu . . . . Reſolutio ergo eſt, quod ire* „ *ad Eccleſiam tempore, quo Clericus non* „ *tenetur, tantum diſtributionum cauſſa,* „ *itaut alias non iret* (en tertio finis prin„ cipalis, immo unicus) *non eſt vera ſi*„ *monia, niſi intenderet pro re ſpirituali* „ *pretium recipere modo ſupra expoſito.*

„ Hactenus Soto, qui docet, ut ocu„ lis veſtris videtis; non eſſe ſimoniam ha„ bere temporale pro fine principali, imo „ unico rei ſpiritualis, niſi illud tempora„ le intendatur ut pretium. Et ſic ſane in„ telligit D. Thomam.

„ Affero ſtatim propoſitiones damna„ tas ab Innocentio XI. ut facilius cum do„ ctrina Soti conferri poſſint.

„ *Dare temporale pro ſpirituali, non eſt* „ *ſimonia, quando temporale non datur* „ *tamquam pretium, ſed dumtaxat tam*„ *quam motivum conferendi, vel efficiendi* „ *ſpirituale: vel etiam quando temporale* „ *ſit ſolum gratuita compenſatio pro ſpiri*„ *tuali, aut e contra.*

„ *Et id quoque locum habet, etiamſi* „ *temporale ſit principale motivum dandi*

„ *ſpi-*

„ *ſpirituale; immo etiamſi finis ipſius rei*
„ *ſpiritualis ſic, ut illud pluris aeſtimetur,*
„ *quam res ſpiritualis.*

„ His praemiſſis P. Gregorius de Valentia in theologica Republica non ignotum nomen, ut temperaret, & coerceret doctrinam Soti; ipſumque quantum poterat, conciliaret cum D. Thoma, adhibuit diſtintiunculam: & diſtinxit inter ipſam rem, ſive opus ſpirituale; & voluntatem applicandi ſe ad tale opus: &, loquendo preſſius ad rem noſtram, diſtinxit inter ipſam recitationem divini officii, & voluntatem eundi ad Eccleſiam ad divinum officium recitandum.

„ Hac diſrintiuncula excogitata docet: ſi temporale ſit finis principalis ipſius rei, ſive operis ſpiritualis, veriſſimam eſſe ſententiam S. Thomae, quam Sotus deſeruit, nempe committi ſimoniam. Si vero temporale ſit finis principalis non ipſius rei, ſive operis ſpiritualis, ſed voluntatis applicandi ſe ad tale opus e. g. voluntatis eundi ad Eccleſiam, Sotum in hoc ſenſu non contradicere S. Thomae, & veram eſſe ejus ſententiam, nempe non committi ſimoniam. Et praeterea, quod diligenter advertendum eſt, Valentia habet

„ bet pro uno, & eodem haec duo: habere
„ temporale pro fine principali rei ſpiritua-
„ lis: & intendere illud tamquam pretium,
„ quae Sotus, cum propoſitione damnata,
„ ſupponit ſeparari poſſe: ſiquidem docet,
„ non eſſe ſimoniam habere temporale pro
„ fine principali, immo unico rei ſpiritua-
„ lis, dummodo non intendatur tamquam
„ pretium. En integer Valentiae textus,
„ ex quo videbunt Lectores, quid dextere
„ ſubduxreit P. Concina; quid tantum re-
„ citarit.

„ *Sed poſſunt in concordiam redigi*
„ *iſtae duae opiniones. Nam dupliciter po-*
„ *teſt quis conferre ſpirituale propter tem-*
„ *porale principaliter, tamquam propter fi-*
„ *nem. Uno modo, itaut temporale apud*
„ *eum ſit finis non modo voluntatis, & ap-*
„ *plicationis animi ad actum conferendi*
„ *ſpirituale; ſed etiam ipſius ſpiritualis; ſi*
„ *videlicet illud temporale aeſtimet pluris*
„ *non modo quam actum conferendi hic, &*
„ *nunc ſpirituale, ſed etiam quam ipſum*
„ *ſpirituale, quod confert; & tunc omni-*
„ *no committit talis ſimoniam. Nam hoc*
„ *ipſo quod pluris aeſtimat temporale,*
„ *quam ſpirituale; aeſtimat etiam illud tan-*
„ *ti, quanti ſpiritale; ſiquidem aeſtimat*
„ *illud*

,, *illud etiam pluris, atque adeo tanti quo-*
,, *que. Et eo ipſo ſpirituale pro tempora-*
,, *li tamquam pro pretio, venditur; in*
,, *quo conſiſtit perverſitas Simoniae. At-*
,, *que iſto modo eſt vera, & a ſuis auctori-*
,, *bus intellecta opinio prima Hadriani,*
,, *S. Thomae, Covarruviae, & aliorum.*
,, *Altero modo* (hic incipiunt verba a Pa-
,, tre Concina recitata) *poteſt quis con-*
,, *ferre ſpirituale propter temporale prin-*
,, *cipaliter, tamquam propter finem, itaut*
,, *temporale apud eum non ſit etiam finis*
,, *ipſius rei ſpiritualis, quaſi temporale*
,, *pluris ab eo, quam ſpirituale aeſtimetur:*
,, *ſed tantummodo voluntatis, ſive appli-*
,, *cationis animi ad actum conferendi ſpi-*
,, *rituale, & hoc non eſt ſimonia* (hic deſi-
,, nunt). *Nam tunc non propterea vel tan-*
,, *ti, vel pluris aeſtimatur temporale, atque*
,, *ſpirituale. Et iſto modo eſt vera ſecunda*
,, *opinio Soti.*

,, Modo haec animadvertant Lectores.
,, Sotus ſcripſit multo prius. Valentia ſcri-
,, pſit multo poſterius, & multum tempe-
,, ravit doctrinam Dominicani prioris. So-
,, tus docuit non eſſe ſimoniam habere tem-
,, porale pro fine principali, immo unico
,, ipſius rei ſpiritualis, dummodo tempora-

„ le non intendatur tamquam pretium:
„ quod ajebat propoſitio proſcripta : & in
„ hoc ſenſu dixit intelligendam eſſe ſenten-
„ tiam S.Thomae . Valentia docuit, eſſe ſi-
„ moniam habere temporale pro fine prin-
„ cipali ipſius rei ſpiritualis, & eo ipſo jam
„ illud temporale intendi ut pretium, non
„ eſſe vero ſimoniam habere temporale pro
„ fine principali voluntatis applicandi ſe, ac
„ efficiendi illud opus ſpirituale ; cujus vo-
„ luntatis nullam mentionem facit propo-
„ ſitio damnata ; & dixit in hoc ſenſu, cer-
„ te multo temperatiore, veram eſſe opi-
„ nionem Soti.

„ Nihilominus juxta P.Concinam, qui
„ propriis oculis Valentiam legit, ſup-
„ preſſis ſupradictis omnibus, quae ad So-
„ tum pertinebant ; Valentia inter primos
„ citatur, qui mandata contra ſimoniam la-
„ xavit ; Valentia docuit propoſitionem
„ proſcriptam ; Valentia affinxit ſuam pro-
„ poſitionem proſcriptam Sancto Thomae.
„ Quae omnia de Soto, non de Valentia
„ veriſſima ſunt, ut oſtendimus „.

CCXLVI. Ad iſtam omnem orationem quae mea ſit futura reſponſio, quae Soti defenſio, latere te poſſe non arbitror, cum, tametſi iſtis ambagibus, tantaque circuitione verbo-
rum

rum rem implicare ſtudueris, non dubitem tamen, quin, priuſquam ad ſcribendum accederes, attente legeris, & accurate perſpexeris, quae Thomas, quae Sotus, quae Valentia ſcripſit de controverſia ſimoniae. Alioquin magnae negligentiae, nolo enim gravius dicere, arguendus eſſes; quippe qui non ſolum ad ſcribendum de re graviſſima, ſed etiam ad accuſandum alios malae fidei, & ad judicandum de magnorum virorum doctrina, a neceſſaria lectione imparatus acceſſiſſes. Et vero, cum ſaepe, & multum de hac Valentiae doctrina diſputatum fuerit, propugnatamque ab eo fuiſſe, uti objecerant Wendrochius, & Paſchalis, illam ipſam, quae proſcripta fuit, opinionem, non negarit auctor Apologiae Caſuiſtarum pag. 106. edit. Colon. & Joannes Cardenas diſſert. 27. cap. 2. n. 14. ut ſupra oſtendi, mirari licet confidentiam tuam, qua errorem Valentiae non ſolum diſſimulas; ſed etiam aegre ferens ſcripſiſſe Concinam: *Gregorius Valentia inter primos citari ſolet, qui mandata contra ſimoniam laxarunt*, uſque eo tegere coneris, ut Valentiam inter eos numerandum dixeris, qui caſtigate de hac controverſia ſcripſerunt, veterumque ſphalmata emendarunt. Videtur ne tibi recte vindicare veritatem,

 qui

qui errorem cum ea confundit, praeſertim in materia, in qua facillime, libentiſſimeque peccatur; aut veritatem cum errore non confundere, qui ſcriptorem, qui omnium maxime erravit, nihil omnino, aut minime omnium erraſſe contendit? Hoc unum deerat ad laudem Valentiae, ut, quemadmodum ſcribere non puduit auctorem dialogorum inter Cleandrum & Eudoxium, ejus de ſimonia doctrinam cum Doctrina Thomae contuliſſe te diceres & nihil inter utramque differre reperiſſe. Quis ferat haec? Aut quis non miretur, tamdiu tuliſſe Domicanicanos! Qui ſi negligebant ſeſe, negligere ſane non debuiſſent periculum imperitorum, quibus damnatam theſim, & alia pleraque ex ea fluentia falſa dogmata doctrinam eſſe Thomae, quam tuto quivis ſequi poſſet, his libellis perſuadebatur.

CCXLVII. Sed jam dicamus de Soto, de quo non audies, quin de aliis tuis audias & Valentiae peccatis. Nunc ego, cujuſque modi ſit id, in quo cum Thoma diſdiſſentit, docuiſſe nego damnatam theſim, aut id, quod illi attribuis, cum nuſquam tradiderit diſtinctionem illam *pretii*, & *motivi*, nec quia morem loquendi ſecutus veterum Theologorum, Simoniam ſitam eſ-

ſe

ſe dixerit in emptione, aut venditione rerum *ſpiritualium*, aut *ſpiritualibus* affixarum; iccirco eam tradidiſſe dici poteſt, eo quod; ut ſapienter ait Concina pag. 90. *rem temporalem, quam diſpenſatoribus rerum ſpiritualium exhibent Simoniaci*, pretium appellarent Theologi; *quia reipſa locum pretii obtinet, quamvis mentalium praeciſionum, & intentionum fucis praecoloretur*. Denique tuum erit teſtimonium ex Soto proferre, ex quo plane perſpicuum fiat, fuiſſe Sotum hujus diſtinctionis approbatorem. Nam hujus loci, de quo haec eſt inter nos altercatio, ſententia eſt; ſi ſtipendia quaedam lege, aut conſuetudine Clericis conſtituta ſint, Simoniam non eſſe, horum imprimis accipiendorum cauſſa Eccleſiaſtica exſequi munera; quam ſententiam plures Theologi tuentur; explicantque Salmanticenſes tract. 19. cap. 1 punct. 4. num. 6. his verbis: ,, Dicendum quod ſi munera, quae ,, conferuntur, alias debita ſint, ex aliquo ,, titulo honeſto, nimirum vel juſti ſtipendii, ſuſtentationis Miniſtri &c. Simonia ,, non erit, ob illa principaliter rem ſpiritualem praeſtare: immo nec peccatum ,, mortale, ut bene probat ſecunda ſententia, ſed quaedam inordinatio, quod res

„ indebite dirigantur &c., ut qui diceret „ Miſſam principaliter ob ſtipendium &c. „ In hanc, inquam ſententiam loquitur Sotus, negatq. (recte ne, an ſecus non diſputo) eſſe Simoniam ſi haec ſtipendia ita, quaerantur, ut eorum cauſſa divinis *officiis* Clericus interſit.

CCXLVIII. In qua ſententia cupio videre quid emendarit Valentia. An eam ita explicavit, ut retinuerit id, quod Navarrum, Gabrielem, Adrianum, & Thomam ipſum locis indicatis ſimpliciter docere animadverterat: Simoniam eſſe, ſi *Spirituale principaliter propter temporale tamquam propter finem* conferatur, quodq; Sotus exciperet de ſtipendiis, id Thomae & aliorum doctrinae non repugnare demonſtrarit, qui unus fuiſſet hujus loci emendandi modus? Nihil minus. Alioquin, praetermiſsa inani diſtinctione inter *finem voluntatis*, & *rei ſpiritualis*, qua Thomae corrupit, ut mox dicam, & Soti ſententiam, ad illud diſcrimen confugiſſet, quod inter Beneficia & alia munera Eccleſiaſtica, vel inter ſtipendia, quae jam lege aut conſuetudine clericis conſtituta ſunt, & ea, quae nulla ejuſmodi lege aut conſuetudine introducta fuerunt, plerique Theologi intercedere arbitrantur; & ex eo doctrinam

nam Soti cum Thomae doctrina non repugnare declaraſſet. Neque enim ei, qui probet Soti, & aliorum Theologorum deſcriptam ab Salmanticenſibus ſententiam, neceſſario abiicienda eſt certa Thomae, communiſque auctorum doctrina: ſimoniam eſſe, *ſi ſpirituale principaliter propter temporale, tanquam propter ſinem*, conferatur. At tantum abeſt, ut hoc modo emendarit Valentia Soti ſententiam, retinueritque Thomæ doctrinam: non abeſſe Simoniae labem, ſi ſpirituale principaliter propter *temporale tanquam propter ſinem* conferatur, ut contra hoc ipſum vitare voluerit, cum jam huic oppoſitam ſtatuiſſet opinionem, nullum eſſe ſimoniae crimen etiamſi *ſpirituale principaliter propter temporale* conferatur. Itaque ut hoc retineret, & Thomam ſibi conſentientem eſſe mentiretur, novam excogitavit diſtinctionem, ſive, ut melius dicam, ſimoniae latebram, qua Soti, & Thomae ſententiam corrupit.

E primum Soti ſententiam, ſi de ſine *voluntatis, ſive applicationis ad actum conferendi ſpirituale* intelligatur, generatim probavit: quaſi Sotus non de iis tantum ſtipendiis, quae jam lege aut conſuetudine conſtituta ſunt; ſed etiam de Beneficiis, de-

que omni genere rerum ſpiritualium locutus eſſet : aut, cum ſcripſit quaeſt. 6. art. 1. eſſe quoſdam labores ad officia Eccleſiaſtica ita affixos, ut ſine his eadem perfici nullo modo poſſint ; manifeſtumque eſſe : *pro his laboribus nihil pretii poſse recipi*, non aperte rejecerit iſtam commenticiam diſtinctionem inter finem *voluntatis*, & finem *rei ſpiritualis* : quod ne tu quidem negare audebis ; cum, ſi non liceat pretium accipere pro labore, qui ad munus Eccleſiaſticum ita affixus eſt, ut ſine eo perfici nequeat ; multo minus quidquam accipere liceat pro ſola voluntate illius laboris obeundi, quae multo magis, quam ipſe labor, ad munus Eccleſiaſticum affixa eſt. Itaque Valentiæ interpretatio in eum Soti locum ; de quo eſt quæſtio, non quadrat ; cum ibi non loquatur Sotus, niſi de muneribus aut ſtipendiis, quæ lege, aut conſuetudine Clericis debentur : & præterea cum aliis ejus dictis, quæ accurata ſunt, veræque doctrinæ conſentanea, magnopere repugnet.

CCXLIX. Multo tamen deteriorem reddidit Thomae ſententiam. Nam quod hic ſcribit quodlib. 8. ex cauſ. art. 11. *Si hujuſmodi diſtributiones reſpicit quaſi finem ſui operis principaliter intentum, ſimoniam com-*

committit , & ita mortaliter peccat , id ita Valentia intelligi debere ait , ut is , de quo eſtſermo , ſimoniam committat , ſi ,, illud ,, temporale aeſtimet pluris non ſolum , ,, quam actum conferendi hic & nunc ſpiri- ,, tuale ; ſed etiam ipſum ſpirituale , quod ,, confert . ,,

Video quidem , hanc eſſe ſententiam Valentiae , quae tantum laxamenti attulit in controverſia ſimoniae,quantum in ceteris demoribus quaeſtionibus aliae falſae attulerunt caſuiſtarum ſententiae . Sed eamdem eſſe Thomae ſententiam demonſtrari mihi velim , non dico ab Valentia, qui nihil attulit , cur ita Thomam interpretandum putaret , ſed ab iis , qui ſe Thomae de ſimonia doctrinam attente legiſſe , nihilque cum ea diſcrepare Valentiae doctrinam inveniſſe praedicarunt . Oſtendi mihi velim ab Viva, ab Daniele, ab ceteris , qui hos duos negant eſſe mentitos , ubi Thomas doceat , aut ſe docere ſignificet, non perpetraturum Simoniae ſcelus eum ; de quo eſt ſermo , niſi ſit tam ineptus, & expers Religionis ,ut *illud temporale* , quod quaerit , & imprimis appetit , *aeſtimet pluris non ſolum , quam actum conferendi hic & nunc ſpirituale , ſed etiam ipſum ſpirituale , quod confert* . Nam loco cit.

cit.nullo modo diſtinguit, aut oſtendit, diſtingui debere inter *rem ſpiritualem*,&actionem,qua eadem confertur,quin immo actionem, qua *res ſpiritualis* confertur, *actum ſpiritualem* appellat, qui vendi nullo modo poſſit. Quod ſi hujus diſtinctionis,alteriuſque de *pretio* & *motivo* ne veſtigium quidem in Thoma reperire poſſunt, fateantur oportet, non Thomam legiſſe ſe, ſed unum Valentiam, qui eas primus excogitavit, ut quae a veteribus de Simonia bene conſtituta erant, ea ſine ratione perverteret, utque novitatis vitaret invidiam, eaſdem Thomae adfingere non dubitavit.

CCL. Sed relinquamus Thomam, de quo non vereor ne quiſquam tibi ſit aſsenſurus, & redeamus ad Sotum, & ad Soti doctrinæ emendatorem Valentiam. Et Sotus quidem etſi Clericum illum, qui divinum cultum *ad temporalem mercedem tanquam a finem* referret, reum nolit eſse Simoniae, eumdem tamen graviter peccare contendit. Quid Valentia, qui ſibi ſumpſerat, ut Sotum emendaret? An iſtud quoque emendationis egere putavit? Ita plane.Nam clericum, qui tam perverſe ageret, omni crimine abſolvit. Audi. „ Sed „ quaerat aliquis, utrum dato, quod non ſit

„ ſit Simonia principaliter ſic ſpectare aliquid temporale pro ſpirituali, ſit tamen aliunde peccatum propter perverſitatem, quae videtur eſse in eo, quod quis referat collationem ſpiritualis ad aliquid temporale, tamquam ad finem applicationis animi ad conferendum hujuſmodi ſpirituale.

Sotus quidem non tam implicate loquitur, ſed ſimpliciter, explicateque ſcribit: „ Peccaret ille Clericus nihilominus graviter contra ſuum ordinem, & inſtitutionem, qui nunquam vel raro eccleſiam viſeret, niſi illa de cauſsa... immo vero qui cultum ad temporalem mercedem tanquam ad finem referret perverſam, ſacrilegamque haberet intentionem contra legitimum rerum ordinem, qui eſt ut Beneficium ſit propter Officium.

Quid igitur? Admittit ne hunc clericum perverſe agere, atque adeo peccare Valentia, qui tantum laboravit, ut Soti ſententiam corrigeret? Nihil minus. Nam propoſitae ab ſe queſtioni ita reſpondet: „ Ad hoc Sotus reſpondere videtur (non videtur, ſed reipſa reſpondet) affirmative; atque idem videtur ſentire Cajetanus ex mente Sancti Thomae. Sed tamen hoc

non

„ non videtur mihi ſatis certum. Nam nihil obſtat &c.

Si hoc eſt emendare, quid erit corrumpere Dominicanorum ſententias? Nam ſi liberari hunc Clericum a crimine ſimoniae ferri vix poteſt; a peccato tamen ne vix quidem poteſt. Hic mihi in mentem venit Caſtropalai ſcribentis tract. 6. diſp. 1. punct. 4. num. 10. de vi *& obligatione* diligendi Deum: „ Hac ergo obligatione „ exiſtimo quemlibet adultum teneri non „ ſingulis annis, ut placuit Petro de Ledeſma.... quia hoc eſt *nimis durum*, & „ *nullo firmo fundamento nititur*; ſed aliquoties in vita; reputarem tamen dilationem trium annorum eſse gravem „. Intellextin? Haec tibi prius etiam atque etiam conſideranda erant, quam iſtam nobis obtruderes emendationem, atque diſcipulatum. Nam cum ſimoniae juſtum bellum indicerent; cum Clericos ab labe avaritiae deterrerent, cum Deum ſemel ſaltem in annum diligi oportere; & alia multa recte docerent Dominicani; tum ab diſcipulis deſerebantur, tum emendationis egere; tum duri, & ſine ratione loqui putabantur: contra ſi quid forte puteret in Zanardo, in Silveſtro, Serra, vel Candido, confeſtim

eo

eo advolantes, velut ad putamina muſcae, diſcipuli, quidquid id erat, totum avide liguriebant, pleniquę faecis ex Magiſtrorum doctrina ſe ſapere gloriabantur.

CCLI. Et quoniam in eo ſumus, ut de Soti doctrina, quam Valentia in controverſia de ſimonia emendavit, diſſeramus, fas erit aliud exemplum iſtius emendationis proferre, ut diligentia diſcipulorum in Magiſtrorum doctrina, cum paullo durior erat, emendanda omnino perſpiciatur.

Audiamus prius Magiſtrum, qui quaeſt. 7. art. 3. quaerit: *utrum collatio metu extorta ſit ſimoniaca, ita ut qui beneficium tale recepit, reſignare ipſum teneatur*. Reſpondet, omnino eſſe ſimoniacam, ſi ſermo ſit de metu, ne aliquod commodum amittatur, quod is, qui confert Beneficium, ſe ſperat adepturum. „ Ut ſi rex, vel ejus aulicus comminaretur Epiſcopo, quod niſi Sacerdotium tali perſonae conferret, de gratia regia excideret, neque ad aliam eſſet aſcenſurus ſedem. Qui enim tali metu Sacerdotium conferret, id ad venandum Epiſcopatum faceret, ac proinde ſimoniacus eſſet. Secus ſi metus ei incuteretur amittendi vitam &c. „

Quid ad haec Soti diſcipulus, qui te judi-

judice Magiſtri de ſimonia doctrinam emendavit? Audi: „ Ultimo ſequitur, non eſſe
„ ſimoniam ſi quis ex metu conferat aliquid
„ ſpirituale. Ita tradit Franciſcus Victoria
„ in dicta Relectione num. 24. & 25. & So-
„ tus quaeſt. 7. art. 3. contra aliquos. Ra-
„ tio eſt &c.... Poſſet tamen contingere, ut
„ eſſet acceptio perſonarum ſi is, cui ex
„ metu ſpirituale confertur, indignus eſt.
„ Quin etiam addit Sotus, eſſe ſimoniam ſi
„ ex metu amittendi aliquid, quod futu-
„ ro tempore quis ſperat, ſpirituale con-
„ ferat: quoniam, inquit, eſt id parare
„ ſibi viam ad illud per ſpirituale. Quod
„ tamen tunc ſolum puto eſſe verum, ſi ta-
„ lis velit illud ſpirituale dare tanquam
„ *pretium*: non autem ſi tantummodo ut
„ quondam *motivum*. Nam ſicut ob con-
„ ſervationem rei, quam in praeſenti quis
„ habet, poteſt conferri ſpirituale, non
„ ut pretium, ſed ut motivum; ita etiam
„ ob adeptionem rei, quam ſperat; atque
„ ita non eſſet tunc ſimonia: Fatendum eſt
„ tamen in *foro exteriori* poſſe facilius tunc
„ ſimoniam praeſumi„. O egregium Theologum, *qui mandata contra ſimoniam ab inſigni Dominicano laxata multum reſtrinxit*! Jamne vides, Noceti, jamne ſentis quae de

de te futura ſit doctorum hominum querela, cum te fuiſſe ab Valentia emendatum Sotum, atque hujus eſſe, non Valentiae proſcriptam ſententiam tam confidenter affirmaſſe intelligent? Sed omittamus exclamationes, interrogationeſque, quae vobis tantopere diſplicent, ut eas convicia, contumeliaſque vocare non debitetis, quodque ad rem noſtram pertinet, id jam ſedate planeque conficiamus.

Reguſta igitur Soti, & Valentiae teſtimonia, & haec tria diligenter animadverte. Primum excogitatam ab ſe diſtinctionem inter *pretium*, & *motivum* ubique conſervare Valentiam, omnemque ex ea, velut ex quodam jacto fundamento, definire ſimoniae quaeſtionem. Alterum eſt, nihil ipſum Valentiam vidiſse in doctrina Soti ſimile ſuae diſtinctioni, atque adeo proſcriptae theſi; cum eam generatim non probet; probet autem, ſi ita, ut illa diſtinctio poſtulat, intelligatur. Et ſane ſi Sotus, cum generatim ſtatuit, labem ſimoniae futuram in eo Epiſcopo, qui *beneficium* conferret metuens, ne gratiam regis amittat, melioremque Epiſcopatum naſciſci non poſſit, quia *id ad venandum Epiſcopatum faceret*, ſi Sotus, inquam, cum hoc docuit, locutus eſset,

aut

aut ſe loqui ſignificaſset appoſite ad id, quod *pretii*, & *motivi* diſtinctio poſtulat; quid erat opus rurſus excipere Valentiam, ſibique probari dicere doctrinam Soti, *ſi talis velit illud ſpirituale dare tanquam pretium, non autem ſi tantummodo, ut quondam motivum?* Certe nemo diſtincto opus eſse judicat tum, cum in doctrina ſcriptoris, quem interpretatur, id, quod vult, aperte contineri videt.

Tertium, quod rei caput eſt, & omnium maxime conſiderare te cupio, illud eſt, quod agatur hic de Beneficiis, de quibus, neſcio qua fide, negant Daniel, & Viva locutum eſse Valentiam cum aliquid in hac controverſia ut incitamentum quoddam, non ut pretium dari poſse conceſſit. At hic locus, ſi cetera deeſsent, eos mentitos eſse demonſtraret, quando quidem palam eſt, ſermonem hic eſſe de Beneficiis, neque tamen deſeruiſſe Valentiam, cum de his ageret, *pretii* & *motivi* diſtinctionem.

CCLII. Atque hic, omiſso Gallo Scriptore, veniat in medium illa peſtis Italorum, conſervatrix omnium proſcriptarum theſium, & praeſertim hujus ipſius, de qua jamdudum diſputamus. Viva, inquam, veniat in medium. Hic enim eſt, qui in expoſitione hujus

hujus theſis argumenta proponens, quibus eadem defenderetur, ſcribit hoc modo: „ Quinto videtur haec eſse doctrina Angelici 2. 2. quaeſt. 100, art. 3, ad 4. ubi habet: *licitum eſt aliquem provocare ad devotionem Monaſterii per temporalia beneficia, ut ex hoc inclinetur ad Monaſterii ingreſſum, licet non ſit licitum ex pacto aliquid dare vel accipere pro ingreſſu Monaſterii*: ergo ex D. Thoma licitum videtur eſse dare pro ſpirituali temporale tanquam motivum, non tanquam pretium. Et Montaltius in famoſo illo libello, qui inſcribitur: *litterae Provinciales*, hanc doctrinam tribuit etiam Valentiae &c. „

Concina hoc ipſo Tom. 10, quem prae manibus habemus, duo hic Vivam peccare dicit, primo, quod proſcriptam doctrinam, quam vidimus eſse Valentiae, adfingere conetur Thomae: deinde quod Montaltius eandem tribuerit etiam Valentiae, quaſi Thomae primum tribuiſset. Quod ipſum mihi videtur, cum nihil aliud intelligi poſſit ex oratione Vivae, niſi quod Thomas defenderit, ſimoniam eſse, ſi *temporale* ſit pretium; non item, ſi ſit *motivum* ad rem ſpiritualem conſequendam: Montaltium autem, quam tribuit Valentiae, eandem Thomae tribuiſse ſententiam.

 Con-

Contra tibi videtur, qui cap. xcvii. horum primum appellas *impoſturam*, alterum eſse dicis cavillationem. Atque ad *impoſturam* quod attinet, ea verba Vivae, quae ſupra deſcripta ſunt, argumentum eſse dicis, quo uterentur damnatae theſis auctores, quodque Viva diſsolvit numer. 23. his verbis:
„ Ad quintam: ſicut citra Simoniam poteſt
„ conferri Mancipio aliquid temporale,
„ ut alliciatur ad ſuſcipiendum baptiſmum,
„ ut diximus in reſponſione ad ſecundam,
„ ita poteſt ex doctrina Angelici loc. cit.
„ conferri alicui beneficium temporale, ut
„ inclinetur ad Monaſterii ingreſsum: Quia
„ in utroque caſu temporale confertur tanquam motivum, non tanquam pretium:
„ tum quia nullum intercedit pactum, nec
„ explicite, nec implicite, neque aequivalenter; tum etiam quia non intenditur in his caſibus utilitas propria, ſed
„ illius, cui confertur temporale: unde
„ non habetur ulla permutatio temporalis
„ cum ſpirituali, nec ulla emptio, atque
„ adeo nec ſimonia.

Hactenus Viva, ut illud quintum diſſolvat argumentum: quibus verbis deſcriptis, hoc modo dicere pergis de crimine impoſturae; „ En igitur novum crimen

P. Vi-

„ P.Vivae , & ante hoc tempus inauditum.
„ Referre quintam objectionem adverſario-
„ rum contendentium ſtare pro ſe Sanctum
„ Thomam , illam ſolide , & aperte diſsol-
„ vere , & Angelicum Doctorem ex inimi-
„ corum manibus eripere . Pro quibus me-
„ ritis P. Concina calumniatur P. Vivam,
„ quaſi aſsereret ex proprio ſenſu,eam do-
„ ctrinam videri eſse Sancti Thomae .

Quid tibi vis dicam ? Nemo praeter me,mihi crede,moderate ferret iſtas nænias, quibus lectores tuos ludificare conaris. Nemo bilem continere poſset animadvertens,te impoſturae crimen Concinae objicere eo quod ſcripſerit, ſcriptum ab Viva,huic ſententiae Thomam favere ; utque impoſturam evincas locum omittere , in quo Viva tam aperte hoc ſcribit , qnam tu in tuo libello, eſse Concinam impoſtorem . Pergit enim Viva , & de doctrina Valentiae hoc modo reſpondet : „ Quod attinet ad doctri-
„ nam Valentiae , & Tanneri Montaltius
„ in eo famoſo libello utrumque crimina-
„ tur , appingitque Valentiae verba quae-
„ dam ; quae ſi in ejus opere reperirentur ,
„ procul dubio deberet dici Valentia au-
„ ctor hujus profligatae Theſis , ac laxita-
„ tis in hac materia. Verum ſi Codices om-

„ nes Valentiae evolvantur nuſquam eſt re-
„ perire verba, quae illi apponuntur, nec
„ doctrinam iis verbis expreſsam; ſed ſo-
„ lum ab eo docetur (ſicut etiam a Tanne-
„ ro) Quod D. Thomas docet 2. 2. qu. 100.,
„ & cum D. Thoma alii DD. communiſ-
„ ſime, videlicet, in iis dumtaxat caſibus
„ licitum eſse ad obtinendum ſpirituale,
„ conferre temporale tanquam motivum,
„ non tanquam pretium, in quibus tem-
„ porale nullatenus cenſetur habere ratio-
„ nem pretii, ut in caſibus adductis ab eo-
„ dem Angelico, puta quando dantur elee-
„ moſinae pauperibus, ut orationum ſuf-
„ fragia ab ipſis impetrentur non intenden-
„ do eorum orationes emere . . . . . At nec
„ Valentia, nec Tannerus, nec alius, cui
„ cor ſapiat uſquam docuerunt in reſigna-
„ tione Beneficii, aut univerſim, licitum
„ eſse dare temporale pro ſpirituali tan-
„ quam motivum, non tanquam pretium.
„ Et ratio eſt, quia in hoc, & ſimilibus
„ caſibus motivum revera habet rationem,
„ pretii, ac praeſumitur ſimonia .... Ac ſi-
„ militer Valentia, & Tannerus ex eodem
„ Angelico in aliquibus dumtaxat caſibus
„ docent, licitum eſſe dare temporale in-
„ gratitudinem pro ſpirituali, aut e con-
„ tra &c.

Quid

Quid hic agit Viva? An, cum velit, & confidenter affirmet, quod de hac controverſia ſcripſit Thomas, idem omnino ſcripſiſse Valentiam, non tribuit Thomae proſcriptam theſim, quam clare, ut oſtendi, explicateque defendit Valentia? An non mentitur & quod Valentiam proſcriptam theſim defendiſse neget, & quod eundem ab Thoma doctrinam ſuam accepiſse ſcribat? Quae duo tam impudenter lectoribus ſuadere conatur, ut, ſi *codices omnes Valentiae* evolvant, nuſquam verba, quibus proſcripta theſis continetur; nuſquam *pretii, & motivi* diſtinctionem in quaeſtione de Beneficiis, ſed tantum id, quod ſcripſit Thomas, reperturos confirmet. Ne longum faciam, ego unum evolvi Valentiae Codicem, & omnia repperi, quae nuſquam Viva repertum iri confirmat.

CCLIII. Mentitur etiam Viva de Paſchali. Equidem non ago hujus ſcriptoris patronus cauſſam. Verumtamen cum primus, quod ſciam, reprehenderit in Valentia & Tannero doctrinam, quam poſtea Eccleſia diris devovit, cur ea laude privabitur, quam ſibi tam illuſtri praejudicio comparavit, inſigniſque calumniae, a qua longiſſime abeſt, poſtulabitur? Itaque hunc locum Valentiae protu-

 lit

lit Paſchalis quantum quidem ex editione Epiſtolarum Provincialium Colonienſi anni cIↃIↃCLXV. conjicere poſſum : „ Dupliciter „ poteſt, quis conferre ſpirituale propter „ temporale principaliter & tanquam prop- „ ter finem. Uno modo ſi temporale aeſti- „ met pluris, quam ipſum ſpirituale; & „ tunc omnino committit talis ſimoniam. „ Altero modo poteſt quis conferre ſpiri- „ tuale propter temporale principaliter, tan- „ quam propter finem, ita ut temporale „ apud eum non ſit finis ipſius rei ſpiritua- „ lis, quaſi temporale pluris ab eo, quam ſpi- „ rituale æſtimetur; ſed tantumodo volunta- „ tis, ſive applicationis animi ad actum con- „ ferendi ſpirituale: & hoc non eſt ſimonia „.

Et infra. „ Cum petitur temporale „ pro ſpirituali, non tanquam pretium debi- „ tum ex juſtitia, ſed tanquam finis appli- „ cationis animi ad conferendum ſpirituale „ minime erit ſimonia, etiamſi principaliter „ intendatur, & expectetur „. Nunc conferas velim priorem Valentiae locum cum ejuſdem abs te ſupra deſcripto teſtimonio- *Sed poſſunt in concordiam redigi &c.* & oſtendas, ſi potes, cur negarit Viva, eſſe in Valentia verba, quae tu ipſe ex Valentia profers, protulitque ex eo Paſchalis, qui licet teſti-

teſtimonium Valentiae ita protulerit, ut verba nonnulla in eo deſcribendo praetermiſerit, recte tamen, atque incorrupte ſententiam ejus expreſſit. Quid igitur? negaſne, idem eſſe deſcriptum abs te, & a Paſchali Valentiae teſtimonium? Non nego, inquies; at unde tandem pro Paſchali tanta contentio? Falleris. Non tam enim pro Paſchali, quam contra te, contraque Vivam, quorũ de una eademque Valentiæ ſententia tam diſcrepans video eſſe judicium, eſt mea contentio. Nam tu illud Valentiae teſtimonium eo protuliſti, ut evinceres, plurimum differre ab proſcripta theſi Valentiae doctrinam, tantumque abeſſe, ut Valentia proſcriptam opinionem defenderit; ut contra hoc loco falſam Soti, proſcriptaeque affinem ſententiam emendarit. Contra Viva illud idem abs te & Paſchali deſcriptum Valentiae teſtimonium tale eſſe cenſet, ut, ſi in Valentia reperiretur, non negaret, dicendum eſſe Valentiam proſcriptae theſis auctorem. Jam vero, te ipſo Judice, reperitur; nam illud ex Valentia protuliſti: utri igitur eſt aſſentiendum, tibi ne, qui eo loco Valentiae veram; an Vivae, qui proſcriptam putat contineri doctrinam? Mirari mihi videris, ſimiliſque attonito vix poſſe loqui. At ego

 quo-

quoque miror, Noceti; & valde miror; ita vos implicari veſtis reſponſionibus, ut exitum omnino nullum reperire poſſitis. Miror etiam fidem Vivae, qui, cum fateretur, deſcriptum ab Paſchali Valentiae teſtimonium proſcriptum errorem continere, idem tamen, contraquam conſtabat, & ipſe viderat, in Valentia legi negavit, atque adeo ejuſdem doctrinam, quae proſcripta erat, ut veram, & ab Thoma acceptam lectoribus venditavit.

At ne illud quidem ratio patiebatur, ut Paſchalis, etiamſi non protuliſſet ex Valentia locum omnino integrum, calumniæ argueretur, modo quod Valentiam ſcripſiſſe diceret, id in Valentia omnino legeretur. Quo cavillandi genere conſtat haec adverſus Concinam criminatio. Nam licet non negem, debuiſſe Concinam non verba argumenti, ſed reſponſionis exſcribere, cum tamen Viva quod de Thomae doctrina in argumento propoſuerat, id totum in reſponſione confirmet, nihil erat cauſſae, cur de Thoma ab Viva ſcribi negares, quod eum Concina ſcripſiſse affirmavit. Accedit huc, quod argumenta, quae Viva proponit, plerumque commenticia ſint, & idcirco ab eo ex aliqua Thomae doctrina conficta, ut lectoribus ſua-

ſuadeat, nihil in Thoma non reperiſſe Caſuiſtas, quamobrem eas opiniones defenderent; eademque ſaepe numero ita ſolvat, ut eorum vim intactam relinquat. Ex quo ſequitur, parvi referre, utrum reſponſum, an argumentum ipſum deſcribatur.

CCLIV. Extremum eſt, ut dicam de Concinae cavillatione. Quod enim ſcripſit Viva: *Montaltius in famoſo illo libello &c. hanc doctrinam tribuit etiam Valentiae*, id Concina perinde interpretratur, quaſi Viva his verbis ſignificare voluerit, eam doctrinam primum Thomae ab Montaltio fuiſſe tributam. Haec tibi videtur cavillatio „ quia „ finge, inquis, ex duobus filiis Joannis, „ Petrum occidiſſe natu minorem. Quis cul- „ paret tanquam impropriam hanc locutio- „ nem? „Petrus abſtulit Joanni unum filium, & Paulus ſuſtulit etiam alterum „: & tamen „ illud *etiam* non ſignificaret, eundem Pau- „ lum occidiſſe primum. Ita in re noſtra. „ Cum Viva dicit, *aliquos* tribuere eam ſen- „ tentiam D. Tomae, & Montaltium tri- „ buere etiam Valentiae, illud *etiam* non „ ſignificat, Montaltium eam tribuiſſe „ S. Thomae „ judicet lector, tua ne, an Concinae ſit cavillatio. Ego hoc tantum dicam; quod affers non eſſe ſimile; nam illud

ali-

aliquos &c. tuum eſt, non Vivae. Ubi ſcripſerat Viva, *Aliquos tribuere eam ſententia D. Tomae*; ut cum ait, Montaltium tribuere *etiam* Valentiae, non videretur ſignificare, ut eſt in tuo exemplo, tributam ab eodem Montaltio fuiſse Thomae? Sed nimis multa de re leviſſima. Alia multa diſputas hoc in capite de fide Paſchalis in exſcribendis Caſuiſtarum locis; de probato, vel improbato ab Jeſuitis probabiliſmo, deque ratione, cum lapſi ſunt, eos excuſandi; ſed quoniam de his rebus ſaepe reſpondi; & nimium harum epiſtolarum magnitudo crevit, hoc tantum dicam de Dominicanis Magiſtris, & Jeſuitis diſcipulis, quod rurſus hoc loco obtrudis, paratumque te eſſe dicis novis exemplis evincere, magnam partem ſuarum opinionum accepiſſe Jeſuitas ab Magiſtris Dominicanis, cavendum tibi eſſe, cum ad hoc aggredieris, primum ne forte ita acceperint, ut Valentiam hanc ſuam de ſimonia ab Thoma accepiſse oſtendi; deinde ne iis argumentis implicere quibus ego nihil jam vobis iſtum diſcipulatum ſuffragari poſſe demonſtravi. Vale.

MAG 200180A